

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

BIS IN MENSE PRODIT

Pretium subnotationis annuae, *praesolvendum*, in Italia est Libel. 10;  
ubique extra Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in extremis commentarii paginis  
Lib. 0.50 pro *unoquoque centimetro quadrato*.

*Cuncta mittantur ad* ARISTIDEM LEONORI *equitem, VOCIS URBIS administratorem*

ROMA — *Via Alessandrina, 87* — ROMA

## RERUM INDEX

IULIO STERBINIO. - Disticha . . . . .	LEO XIII.
MINUCIANA . . . . .	F. Ramorino.
DE HIERONYMO SAVONAROLA . . . . .	R.
INSCRIPTIONES . . . . .	S. Grossus.
DE LAURENTII BERNINI VITA ET OPERIBUS . . . . .	I. Cascioli.
DE ARTE SACRA PROPOSITA AUGUSTAE TAURINORUM . . . . .	H. Lambiasi.
LAURENTIUS PEROSI . . . . .	Hersilus.
ZOOLOGICAE RES. - De pithecanthrope erecto . . . . .	I. Tuccimei.
DE INFANTULIS SUGENTIBUS LUPARUM UBERA . . . . .	P.
ANTHEA ( <i>Eamus ad Ipsum</i> ) . . . . .	P. Angelini.
FRUSTULA . . . . .	Forfex.
HORAE SUBSICIVAE. - Rivulus et turtur . . . . .	F. X. Reuss.
Ad <i>Vocem Urbis</i> . - Disticha . . . . .	H. A. Strony.
ANNALES . . . . .	Egnatius.
ACTA SANCTAE SEDIS . . . . .	Thomas.
AENIGMATA . . . . .	X.

ROMAE

EX OFFICINA FORZANI ET SOCIJ

M DCCC XCVIII

## MONITUM

Duo priores huius commentarii numeri, *ad specimen* in omnes orbis terrarum regiones dimissi, nostram animi expectationem penitus expleverunt. Undique enim viri clarissimi, societate nobiscum inita, gratulationes non mediocres et epistulis et carminibus miserunt. Eadem mente tertius numerus longe lateque diffunditur. Quum vero nobis constitutum sit quartum ad solos socios dari, omnes, qui *Vocem Urbis* acceperint ac probaverint, hortamur ut quam citissime et nomen et pretium subnotationis velint mittere.

Omnes praesertim Episcopos, qui cum nostro administratore de omnibus, quae Romae acturi sint per litteras colloqui poterunt, itemque viros doctos, qui sive latinis rebus operam navant, sive studiis provehendis praesunt, sive adolescentes latinam linguam docent, vehementer obsecramus ut *Vocem Urbis* benigne respiciant, legant, sibi que subiectis commendent: ad usum, enim, et latinae linguae commercium comparandum maximae erit omnibus utilitati.

Cuique insuper socio fas erit *soluta oratione* conscribere quae placuerint *Vocis Urbis* edenda paginis, dummodo ab indole nostri commentarii non abhorreant atque ambitum et incorruptam sermonis integritatem servent.

*Socii omnes figuram (m. 1.10 × 24), quae summo colore ac mira quadam pulcritudine prospectum Urbis e Ianiculo monte illustrat, dono accipient.*

## VARIA

### Loricatarum navium maxima.

MAXIMA omnium loricatarum navium classaria illa est, quae marinas nuper undas attingit, Germanicoque addicta imperio nomine Imperatoris Friderici III nuncupatur. Talis ea est, ut duplo minor sit altera eiusdem generis *Imperator Wilhelmus*, quae nuper et maxima omnium et potentissima ferebatur, et quae adhuc inter eas princeps habetur.

Sic factum est ut Germania, quae vastissimas et robustissimas onerarias habet naves, ita et classarias nunc sibi vindicet, quum octo praeterea tales condantur, quae anno 1904 innatabunt aquis.

Biscenties centena millia Mark ad hoc monstrum conficiendum expensa sunt.

Quonam appellemus, hac rabie in bellicis terra marique apparandis?

\*

### Ad epistulas mittendas.

Tessera birotalis nuper invecta est, auctore praefecto diribitorum occidentalis Australiae in urbe principe Perth. Bifariam inscriptiones distribuuntur et imagines.

Nam in superiori habet haec verba: « Lake Defray, Gold Field », cui inscribitur: « Cycle Mail Western Australia ».

Post haec cygnus ater in medio ovalis numismatis, cui inscribitur sententia: « Cycle Mail Western Australia ».

Edita huiusmodi tessera est, cui pretium sex pences tribuitur, ut inserviat epistularis officii inter plures auri fodinas recurrentibus, quibus gerundis cyclistae adhibentur.

\*

### Bibliothecae tantum Anglicae.

Bibliothecas publicas enumerare quidam aggressus, haec de iis, quae anglico sermoni addictae sint, summam retulit.

In Anglia, hoc est in Britannicis insulis, trecentum et quinquaginta sunt, et quinquages centena millia librorum asservant.

In Australia octingentae quadraginta quatuor bibliothecae habentur, in quibus quatuordecim centena millia volumina; in Nova Zelanda duo de trecentis bibliothecae, in quibus trecenta triginta millia librorum; in Africa, quae ad Meridiem dicitur, et quam ego malim Australem seu Antarcticam nuncupatam, ter centena millia voluminum in centum bibliothecas divisa; in Canada regione quindecim centena millia librorum bibliothecae publicae tumentur; demum in Septentrionali America, quae Respublicae Unitae dicuntur, quatuor millia et viginti sex bibliothecae tercenta ac triginta centena millia librorum legentibus offerre possunt.

\*

### Simulacra sancta in Americam, etc.

Quoniam de transoceanicis dicere coepimus, narrare lubet quae Septentrionali Americae simulacra Romae parantur, apud sculptorem eximium Aurelii Caesarem equestri Ordinis principem. Duas hic statuas marmore confecit, quarum prima SS. D. N. Iesu Christi effigiem representat eo gestu, quo effingi solet dum ad SS. mi sui Cordis cultum et venerationem fideles allicit; altera SS. Patriarcham Ioseph divino, quem in ulnis tenet, Infantulo haerentem refert. Utrumque opus egregium summopere laudatur

tum vita, tum pietate, tum omnibus denique perfectionibus, quibus excellit.

Haec mox deferentur in Americam, et in parochiali ecclesia SS. mi Sacramenti, quae est in urbe Buffolo, ponentur.

Pulcra plerique viri amplissimi, et gratulationes opifici dixerunt, quos inter Em. mum D. Cardinalem L. M. Parocchi, qui de optimis artibus ac de studiis optime sentit, lubet enumerare.

Apud eundem Aurelii sunt et fons baptismati addictus, nova creatione, et nova musa mirabilis, nec non altare marmoreum. Affabre utraque exsculpta deducuntur brevi tempore in templum S. Agnetis ad urbem Wood-Stoch, in ea Africae regione quae dicitur: *Capo di Buona Speranza*. — Gratulamur, et laetamur, et Aurelio: ad maiora quotidie!

\*

### De risi planta.

Richardus Luders, germanicus doctus, novissimo in scripto, verbis exprimit curiosam plantam, cuius semen concitat risum, quam colunt Arabes, et « risi » appellant. Siquis hoc semine utatur, quamvis quietissimus, delirare incipit, risu dissolvitur, sacroque modo se agitat.

Haec consuetudo non est dubium, quin ad insaniam, vel ad sui necem ducat.

\*

### Canes pro canibus.

Nostris etiam in scenis aures saepe canibus, at canibus humanis, praebemus; sed nunc, plaudentibus omnibus, fabula, nonnullis locis, mutata specie, agitur cum canibus.

Quid? Canes pro canibus.

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETIUM SUBNOTATIONIS:  
In Italia . . . . . Lib. 10  
Ubique extra. Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3

BIS IN MENSE PRODIT

ADMINISTRATOR:  
ARISTIDES LEONORI, eques.  
ROMAE - Via Alessandrina, 87.

## MINUCIANA

MINUCII Felicis dialogus, cui titulo est *Octavius*, ut omnes sciunt, qui non sint plane hospites in litterarum latinarum historia, inter periucundos

libellos adnumerandus est, qui a romana antiquitate usque ad nos pervenerint. Nam in eo Christianus quidam, Octavius Ianuarius, et Ethnicus, Caecilius Natalis, coram arbitro et iudice Minucio, ita disputantes inducuntur, ut alter rationes, accusationes, convicia exponat quae iis temporibus in Christi fideles ingeri solebant, alter argumentis undique collatis demonstrat, novam Christi doctrinam multo praestantior esse multoque magis virum sapientem decere quam veterem superstitionem. Qua in disputatione cum res et sententiae lectoris attentionem maxime sibi conciliant, tum perquam gratum ei est dicendi genus elegans, ornatum, nonnunquam etiam artificiosius perpolitum, in Tullii imitationem plerumque compositum, non tamen sine nativo quodam orationis lepore et venustate.

Hoc opusculum satis constat felici quodam casu per medii aevi saecula servatum esse; in codicibus enim Arnobianis latebat, ita ut septem Arnobii adversus gentes libris quasi liber octavus adhaeresceret. Cuius erroris origo per se est manifesta; cum ineptus librarius quidam in archetypo libro quem describebat Octavium post septimum Arnobii librum vidisset, Octavium pro octavo accipiens, posthabito Minucii nomine, opellam nostram Arnobio subtexit. Huius Arnobii male aucti unicus codex nunc superest is qui in Parisiensi bibliotheca asservatur, num. 1661 insignitus, nono saeculo ineunte scriptus. Unde non est mirum si ille qui princeps Arnobium

edidit (Romae, 1543), is est Faustus Sabaeus Brixianus, bibliothecae Vaticanae praefectus, Arnobii operi octo libros assignaverit, de Minucio ne vestigium quidem odoratus.

Si autem quaeras quis primus Minucii *Octavium* ab Arnobii libris seiunxerit, reperies in omnibus litterarum latinarum historiis, huius rei laudem tribui

Francisco Balduino Franco-Gallo, qui Minucii dialogum edidit Heidelbergae anno 1560. De hoc ipso argumento paucis te volo, optime lector. Aio enim rem non ita certam esse ut omnibus videtur. Balduinus quidem in Prolegomenis editionis suae de se

cuti sunt, Balduino de se testanti suffragari. Nam Fulvius Ursinus, cuius est altera Arnobii Minuciique editio romana, anno 1583 excusa, haec in praefatione scripsit: « Nos . . . octavum librum male Arnobio inscriptum auctori suo restituimus et Minucii Felicis *Octavium* inscripsimus.

Cuius quidem inscriptionis restitutio, ut sciunt docti per quem profecerint, debetur omnium honestarum artium vindici ac patrono Gulielmo Sirleto Cardinali, qui, ut est in litteris ocularissimus, vidit primus et pro suo illustrandae veritatis studio *iamdiu* indicavit recitari a Lactantio Firmiano verba quaedam e Minucii Felicis *Octavio* quae haberentur in octavo Arnobii libro. Unde coniecturam fecit vir amplissimus ex Octavii nomine errorem fluxisse et octavum illum Arnobio inscriptum librum esse Minucii, non Arnobii, quem constaret septem tantum libros non octo scripsisse . . . ». Utri igitur, Balduino an Sirleto, laus reperti Minucii accepta est referenda? Sed ecce nobis haerentibus tertius occurrit eiusdem laudis aemulus. Nam Gererhartus Elmenhorstius, qui Minucium edidit Hanoverae anno 1607, « Primus », ait in Commentarii sui initio, « Hadrianus Iunius (1512-1575), vir excellentis ingenii, quoniam tritas habebat aures in cognoscendis veterum scriptis, facile animadvertit, non esse octavum librum Arnobii, sed huius M. Minucii Felicis *Octavium*. Is itaque *Octavium*, octavum librum Arnobio male inscriptum, genuino auctori suo princeps restituit ». Tres igitur habes, lector amice, viros quibus detectum Minucium tribuunt testes locupletes fideque dignissimi, unum Franco-Gallum, alterum Italum, tertium Batavum. Quid erit de hac re diiudicandum?

Nam si honor Balduino debitus ob primam Minucii ab Arnobio seiuncti editionem

nullomodo detrahendus est, non exinde colligitur, falso Ursinum et Elmenhorstium de Sirleto Cardinali et Hadriano Iunio testatos esse, quorum uterque, qua doctrina erant, poterant per se coniectura suspicari idem quod primus creditur vidisse Balduinus; praesertim quum lectoribus paullo diligentioribus ea res nihil ferme difficilis esset ad coniectandum. Contra

## IULIO STERBINIO

FAMILIARI

*Iuli munus habe, COR IESV: (1) manat abunde  
Inde salutiferae vena perennis aquae.*

*Quem Iesu de Corde fluens lustraverit unda,  
Abstergi labes sentiet ille suas.*

*Tu quoque iam propera ad fontem, hoc te merge lavacro;  
Pulchrior evenies et nive candidior. —*

*Mergeris: en subito detersus lucida caelo  
Figere vividius lumina munda vales;*

*Quaerere nec caelum cessas; insana cupido  
Si quando illecebris urgeat in vetitum,*

*Reicis indignans: animum tenet una voluptas  
Divinis mentem pascere deliciis.*

*Atque, imo quae corde latent, arcana recludens  
Ad Iesum perhibes te magis usque trahi*

*Vi dulci et grata; benefacta et dona recensens  
Quae tibi munifica contulit Ipse manu. —*

*Sic tua sit semper virtus, tua gloria Iesus!  
Et tuus incenso pectore iugis amor:*

*Invictum robur dura in certamina vitae,  
Fulgida lux signans tutum iter ad patriam!*

LEO XIII.

(1) An. MDCCCXCVIII LEO XIII depictam divini CORDIS IESV tabulam Iulio Sterbinio eiusque filiis dono dedit.

Elegos versus SS.mi D. N. ad Iulium Sterbinium, editione novissima instauratos atque auctos hisque paginis decorandis ab Ipso Augusto Auctore benigne concessos, *Vox Urbis* grata refert.

loquitur: « Ut hunc sive libellum sive dialogum, qui multis iam saeculis falso creditus est dictusque esse octavus Arnobii adversus gentes liber, et inscriberem et esse plane liquidoque affirmarem M. Minucii Felicis *Octavium*, facile mihi persuaserunt duo et boni et antiqui et graves testes auctoresque, Lactantius et Hieronymus . . . ». At non video editores qui se-

id igitur quod legitur in litterarum historiis, illud certum sit nobis non Balduinum primum Minucii *Oclavium* ab Arnobii libris separandum vidisse, sed per eadem tempora alios etiam doctos viros vel in Batavia vel in Italia idem conicere potuisse.

Nonnulla etiam de Minucii aetate habeo dicere, quam quaestionem nuper tractavit Ed. Nordenius, doctor graecis latinisque litteris tradendis in Gryphiswaldensi Athenaeo (Greifswald, Kunidke, 1897); sed eam rem in alium numerum differam.

FELIX RAMORINO.

## DE HIERONYMO SAVONAROLA

**H**IERONYMUS Savonarola igni consumptus est x kalendas iunias, hora decima ante meridiem, anno MCDXCVIII. Saecularibus ab eius interitu hoc anno instauratis ac magnifice celebratis Ferrariae praesertim et Florentiae, multa, inter se tamen discrepantia, de Hieronymi vita et operibus nuperrime edita sunt, de quibus alias fusius. Nunc tantum de elegiaco carmine, cuius auctor est ANGELUS MILLIUS. Id inscribitur: *Hieronymus Savonarola quarto evadente saeculo ab eius interitu* (Florentiae, typis Baroni et Lastrucci, 1898). Celeberrimus frater Dominicanus, corruptis sui saeculi moribus tam eloquenter sancteque adversatus, crudeli postea supplicio immeritoque affectus, optimum profecto argumentum poetice tractandum praebebat. Angelus Millius Florentinus haud imparem rei susceptae se praestitit. In exordio carminis ponit nobis ante oculos regiam Estensem et luxu splendidam et choreis cantibusque lautisque conviviis hilarem; at dum princeps cum amicis genio indulgent et gaudia captant, ait poeta se ex imo carcere gemitus audire Parisinae mox moriturae; latent igitur, ut solent, inter corporis gaudia scelera animi, et quidquid delirant reges plectuntur Achivi. Hos corruptos mores et infelicem patriae suae statum aversatus nobilis quidam iuvenis, ingenti animo praeditus, natalem humum familiamque deserere non dubitat claustrumque petit ut ibi studiis et pietati det operam. Cito omnium fratrum admirationem in se rapit; iam Bononia Florentiam accititur, ubi Savonarolae virtus sanctissima fulgebit, eiusque nomen volabit ad astra. Hic describit poeta Laurentii Magnifici aulam et blandum quidem imperium in populum tacite servientem et artes litterasque maximorum ingeniorum ope florentes, ast simul, Venere Bacchoque triumphantibus, nimium corruptos mores et urbis et regis. Vocem tollit Savonarola intentatque minas:

*Quo ruitis, miseri, quae tanta insania, cives,  
Eripuit mentem? cur mala tanta premunt?...  
Audite, Italicae gentes: atra imminet hora  
Qua vos urgebit summus ubique dolor!*

*Iam tibi praedico, Laurenti, funus acerbum,  
Iam miser et furiis excruciatu obis...  
Alpibus ecce novus descendet Cyrus ab altis  
Gallorum et premitur patria terra iugo.*

*Horrida per campos pestis grassatur et urbes,  
Atque iacent misero corpora strata solo...*

*Tu mihi cara magis luce, o Florentia, longas  
Terribilesque moras obsidione feres!...*

*Oh! venerare libens Christum, Florentia, regem.  
Ipse est una salus, oh venerare libens!*

His atque talibus dictis commoventur animi; plebs tota, miro fascinata eloquio, plaudit acclamatque faticum virum. Interim ecce Laurentio ultimae ne-

cessitatis appetit dies; tunc Deum sibi conciliare studens, arcessit Savonarolam; annuit hic, at intrepidus ait non posse regem scelerum remissionem consequi, nisi reddat quae usurpavit libertatemque Florentiae restituat. Quod cum abnuisset Laurentius, miser conscientia sua dilaceratus moritur. Eum deflet mutabile vulgus; at tristia fata quae praescius frater vaticinatus erat iam urbi impendent; ecce alter Cyrus vere ex Gallia in Italiam descendit; ecce civili discordia Florentia teritur. Tunc in Savonarolam tot malorum culpam conferentes, eum in carcerem detrudunt Florentini, et insania obcoectati ad extremum supplicium tradi iubent. Hoc narrat in extrema elegiae parte poeta graphiceque depingit tum populum ceu maris undam frementem per plateam qua crux erecta est rogoque congestus, tum heroa moriturum, qui sine trepidatione, sine gemitu conscendens crucem novissimis verbis alloquitur populum, donec carnificis manibus magnam animam exspirat. Quo fato permotus, et Savonarolae tempora cum nostris comparans quae non dissimilibus malis afficiuntur, claudit Millius carmen heroa suum invocans, et « oh! redeas generose », exclamat, « urbesque revise latinas ».

*Allera nam premitur fati crudelibus aetas,  
Nec bona stella nitet nec via tuta patet.*

*Exsulat hinc virtus, pravi moresque triumphant,  
Desipiunt reges, desipiunt populi...*

*Oh generose veni! resonet nunc fulminis instar  
Vox tua, tu sceleri fervida bella move!*

*Quod tibi si reditu tantos lenire dolores  
Non datur, exemplum nos iuvel, oro, patrum!*

Ita se se habet A. Milli carmen. Quod non multa verba opus sunt, credo, ut lectoribus persuadeam haud parva laude esse dignum; adeo quae dicuntur ex intimo, quasi dixerim, animi penu deprompta sunt, non extra quaesita; adeo aptae et opportunae sententiae; et disertum Savonarolae praeconium; et genus sermonis fusum ac profluens; et versus nitore quodam atque suavi numerositate probandi. Quod si non est opus omnibus numeris absolutum, nec desunt in eo vitia, at multa concedenda sunt iuvenili auctoris aetati, qui laborando, perseverando, non dubium est quin in litteris latinis magnos progressus facturum sit.

R.

## MONITUM

Duo priores huius commentarii numeri, *ad specimen* in omnes orbis terrarum regiones dimissi, nostram animi expectationem penitus expleverunt. Undique enim viri clarissimi, societate nobiscum inita, gratulationes non mediocres et epistulis et carminibus miserunt. Eadem mente tertius numerus longe lateque diffunditur. Quum vero nobis constitutum sit quartum ad solos socios dari, omnes, qui *Vocem Urbis* acceperint ac probaverint, hortamur ut quam citissime et nomen et pretium subnotationis velint mittere.

*Optima quaeque dies miseris mortalibus aevi  
Prima fugit; subeunt morbi tristisque senectus;  
Et labor, et durae rapit inclementia mortis.*

(VERG., *Georg.* III, 66).

*Ingratus est qui beneficium accepisse se negat, quod accepit; ingratus est qui dissimulat; ingratus qui non reddit; ingratus est omnium, qui oblitus est.*

(SEN., *De Benef.* 3, 1).

## INSCRIPTIONES

I.

Insculpenda in sacro Seminario Savonensis dioeceseos sub marmorea protome.

LEOPOLDO · PONZONIO · IVRIS · PONTIFICII · CIVILISQUE  
CONSULTO · KANONICO · TEMPLI · MAXIMI · SAVONENSIS  
QVOD · AVCTOR · SACRI · SEMINARII · EXSTRVENDI · IN · HAC  
PERAMPLA · SALVBERRIMA · STVDII · OPPORTVNA  
SEDE · MAGNAM · PECVNIAE · SVAE · VIM · OPERI · PERFI-  
CIVND · CONTVLERIT · ITEM · RECTOR · EFFVSA · LIBERALI-  
TATE · IVVENES · IN · TENVI · RE · NATOS · SPEI · ECCLESIAE  
SVBCRESCENTES · ADIVVERIT · ALVMNOSQUE · VNIVERSOS  
ET · SINGVLOS · PATERNA · CARITATE · AMPLEXATVS · AD  
SCIENTIAM · RERV · DIVINARVM · PRAESERTIM · AD · PIETA-  
TEM · INFORMANDOS · CVRAVERIT · VIGILANS · SOLLICITVS  
VEL · QVVM · INVALETVDINE · VEXARETVR · IOSEPHVS · BO-  
RAGGINIVS · PONTIFEX · SAVONENSIVM · ET · NAVLENSIVM  
CVM · IV · PATRONIS · DEPVSTATIS · VI · KAL · APRILES · AN ·  
M · DCCC · XCVII · FIERI · IVSS · MAIORA · MERENTI.

II.

Anauniae in aede curiali Sancti Zenonis.

CINERIBVS · ADSERVANDIS · SISINII · MARTIRII · ET  
ALEXANDRI · QVI · SAECVLO · IIII · PRO · CHRISTI · FIDE · NE-  
CATTI · SVNT · ANAVNIENSES · AERE · CONLATO · EX · VNI-  
VERSA · DIOECESI · TRIDENTINA · FECERVNT · AD · DIA-  
GRAMMA · NICOLAI · PAOTII · ARCHITECTI · SATAGENTE  
IOHANN · BAPT · NICOLETTIO · CVRIONE · ADPROBANTE · KA-  
ROLO · EVGENIO · VALVSSIO · EPISCOPO · ET · DYNASTA  
ANNO · XCVII · SAECVLI · XIX.

STEPHANUS GROSSUS.

## DE LAURENTII BERNINI

### VITA ET OPERIBUS

TRECENTESIMO VERTENTE ANNO AB EIUS OBITU

**B**IENNIO ante exitum saeculi xvii, Neapoli in urbe Italiae omnium frequentissima, Laurentius natus est, matre Angelica Galante, patre vero Petro Berninio, bonarum artium cultore, qui Florentia illuc demigraverat. Mature in Urbem a patre deductus est, qui a Paulo V Pont. Max. accitus fuerat.

In eo erat, iam ab ineunte aetate, praeter docilitatem ingenii, ea ad artes propensio ut ad omnia propemodum summa natus videretur.

Nam adhuc puerulus annorum decem, tam bene finxisse ac sculpsisse traditur effigiem humani capitis, ut omnes in admirationem raperentur.

Itaque et patiens fuit in laboribus perferendis et tempori studiosissime parcens; ita ut vere de eo dici possit:

*Multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit.*

Quamvis pictura atque comoediis admodum delectaretur, singulari tamen amore, prae ceteris bonis artibus, sculpturam atque architecturam ita prosecutus est, ut in iis fere principem locum obtineret.

Neque tamen, cum multos haberet obrectatores laudum suarum, aut animum despondit unquam aut cuiquam succensuit; quin imo, vel ob eam causam, studii amore bonarumque artium ad ardua quaeque ac maiora perficienda excitabatur.

Cum igitur, ineunte adulescentia, praeclara ingenii sui specimina protulisset, deinde autem unus sui temporis maxime floreret, cum operum varietate ac nobilitate, tum exquisito quodam (quamvis interdum nimium artificioso) effigendi modo, non est dubitandum quin multa atque admiranda, praesertim

in Urbe, reliquerit opera ac post se nobile nomen maximamque gloriam.

Sed ut is ad excellentiam artis contenderet, non parum valuit commendatio et favor Pontificum Romanorum; quorum quidem munificentia nulli egregio viro unquam defuit, qui bonis artibus ac litteris optimam cuperet operam impendere.

Fertur enim Paulus V, cum quoddam eius opus sculptile fuisset admiratus, blandis ei verbis dixisse, uti tot aureos nummos utraque manu semel ex arca desumeret, quot pro lubitu suo vellet.

Maffeius autem Barberinius (cuius fidei Berninius ab ipso Pontifice fuerat commendatus) Summum Pontificatum adeptus, illum sic benigno ore allocutus est: « Tibi felicitati vertit Deus quod Maffeius Barberinius fuerit Pontifex renuntiatus; mihi vero honori et gloriae, cum tanto viro uti possim in operibus artis pro Ecclesiae Urbisque decore perficiendis ». Ab initio igitur Pontificatus Urbani VIII orditur, si ita loqui fas sit, *cursus honorum* huius excellentissimi viri, cui, ob eius insignia erga artes merita, perpaucos pares arbitramur.

Is vero nunquam aut otio indulset aut pepercit labori, cui tantam diem atque interdum etiam noctis partem impendebat, ut si quis eum vellet studio occupatum interpellare, dicere consueverit: *Simile; nam artis amore sum captus*. Quo factum est ut, ingenio ac labore, bonarum artium cultoribus praeclara exempla reliquerit imitanda.

At nunc vel ipsa narrationis necessitas nos urget ut quaedam de operibus eius proferamus. Sane admiratione percitemur, quoties sive divi Petri cathedram in abside Basilicae Vaticanae, sive tabernaculum aeneum, omnium maximum, eiusdem sepulcro superimpositum, sive etiam forum in amphitheatri formam, utraque parte cclxxxiv ingentibus columnis nec non ivc sanctorum stantibus signis circumseptum, intuemur.

Cathedra, quam monumentis maiorum constat a Pudente viro clarissimo Apostolorum Principi fuisse donatam, aeneae sedi inclusa servatur, eamque quatuor maximi Ecclesiae doctores, praeter naturalem formam aere efficti, sustentant; desuper radiis colucentibus cultuque angelorum ornata est.

Quatuor vero in spiram ductae columnae perpulcra arte ornamentis condecoratae, una cum tegumento, iussu Urbani VIII, ex aere tegularum conflatae sunt quae barbarorum direptioni supererant de templo M. Vipsanii Agrippae.

Is operibus adiciendum est monumentum pulcherrimum Urbani VIII in Basilica Vaticana, duabus hinc et illinc stantibus clarum, Iustitia et Caritate, nec non aeneo eiusdem Pontificis signo. Aliud quoque monumentum inibi Berninii opera confectum admiramus, quo Alexandri VII corpus inlatum est, stantibus item ex marmore ornatum. In foro autem agonali, ubi circus Domitiani exstabat, pulcherrimum fontem intueri datum est, aquarum copia atque ornatu spectandum, quem Berninio Innocentius X construendum commiserat.

Effinxit artifex petrosam rupem, unde ingenioso delapsu leni murmure exsistentes aquae in stagnum cadunt; in summo autem vertice ille posuit obeliscum, qui olim spinam circi Maxentii extra portam Capenam exornabat: in rupe vero quattuor maiorum fluminum effigies affabre sculptae considunt.

Tanta igitur pulchritudine hic fons a Berninio perfectus est, ut iure meritoque secundo loco eum ponendum censeamus, quum primum teneat fons aquae Virginis ad Trivium, mirabili opere a Nicolao Salvio perfectus.

In eodem agonali circo, meridiem versus, aliud Berninii opus spectandum exhibetur supra fontem, idest Tritonis statua, delphinum cauda arripientis, quam vulgo sub nomine Mauri novimus. Itidem Tritonem cava buccina aquas elicentem in foro Barberiniano conspicimus. Exstant et alii eiusdem artificis fontes, sive Romae, sive in pago Lanuvino et in castro Gandulphorum.

Si vero aedificia spectes, uti palatium Barberinianum ad circum Florae, frontem palatii Odescalchiae domus ad Basilicam Ss. XII Apostolorum, Curiam Innocentianam in Monte Citatorio, aliaque multa, quae Berninius vel delineavit vel absolvit, non minus eum admirari quam dignis laudibus cogimur cumulare.

Templa etiam ac sacella non pauca eo artifice exaedificata sunt, quae tum architectonica arte, tum omnigeno ornatu, et Urbis maiestate et catholicae nobilitate religionis digna profecto existimantur, quorum numero adscribendum est templum Sancti Andree Apost. in colle Quirinali, aedes rotunda in pago Aricino, iussu Alexandri VII erecta ac Virgini ab angelis in caelum assumptae dicata, templum Sancti Thomae a Villanova in castro Gandulphorum, sacellum Cornariae domus in aede S. M. de Victoria ad thermas Diocletianas Romae atque alia alibi.

Item complura sunt neque minoris momenti ea quae eius scalprum edidit simulacra et signa, sive sanctorum ac virtutum, sive nobilium virorum: sed vel praecipua enumerare si velimus, longiores simus.

Igitur tot tantisque operibus, excellentissimi artificis tota Europa adeo percubuerat fama, ut eum reges ipsi ac principes honoribus donisque cumlaverint. Digna profecto recordatione sunt quae de Berninio verba protulit Carolus I Angliae rex, qui cum ad eum anulum magni pretii dono per virum aulicum mitteret, « pete Romam, inquit, eamque hoc anulo manum orna, quae tam belle effigiem meam marmore absolvit ».

Quam omnium existimationem sibi Berninius adscivit non arte tantum, sed animi etiam morumque probitate; nam, praeterquam quod paterfamilias optimus, atque erga alios nemo unquam eo suavior, ea fuit liberalitate ut alienam inopiam saepe libentissime sublevaret. Quapropter sapientissimis viris, ipsisque Summis Pontificibus, praesertim Urbano VIII, familiarissime utebatur.

Gloriae tandem plenus egregius artifex, urbis Romae reique catholicae decus artisque iubar, anno aetatis suae octogesimo secundo, Romae decessit; cuius corpus humatum est in Basilica S. Mariae Maioris in Exquilis, prope aram maximam extra presbyterium, dextrorsum.

Ad eius sepulcrum nil omnino invenitur, quod tanti viri memoria sit dignum, si hanc inscriptionem excipias: *Nobilis familia Bernini hic resurrectionem expectat*. Attamen fore speramus, uti sumptu publico aut conlata pecunia monumentum memoriae eius aliquando splendidius assurgat.

I. CASCIOLI.

~~~~~

*Fertilis, assiduo si non renovetur aratro,  
Nil, nisi cum spinis gramen, habebit ager.*

(Ov., Trist. V, 12, 231).

*Stat sua cuique dies; breve et irreparabile tempus  
Omnibus est vitae; sed famam ostendere factis,  
Hoc virtutis opus.*

(VERG., Aen. X, 468).

DE ARTE SACRA

PROPOSITA AUGUSTAE TAURINORUM

QUAMQUAM ingenuarum artium aedes Augustae Taurinorum a. d. xii kal. decembres huius anni visuris clausae sunt, pergratum tamen legentibus fore arbitramur, si breviter de illarum artium domicilio in rem nostram aliquid dicimus, quod a commentario, qui inscribitur *Rassegna Nazionale* (1), libare licuit.

Ingenium illud maximum, quo divinus rerum creator christianam rem publicam hac aetate regi voluit, quanto fulgore opera et artificia religionem illustrent haud ignorans, non ipsis solum verbis, sed praemiis in hoc egregio artificiorum specimine propositis magnificas Augustae Taurinorum aedes ad id accommodatas rebus ad artem sacram pertinentibus locupletari iussit. Eius nutu omnes, qui regiones orbis terrarum vel remotissimas incolunt Christi fideles, diuturno e somno quasi excitati, ex composito curas omnes intenderunt atque cogitationes, ut catholica religio pro suis erga genus humanum praestantissimis meritis hac opportunitate splenderet. Quam multi sacram doctrinam perosi, oculis in coelum conversis, religionis sanctitatem hoc facto confessi sunt! Sed ne enumerando legentibus molestus sim, quae digna memoratu videntur, summis labiis attingere liceat.

Ingrediendi eam aedium partem, quae sacram ab arte profana secernit, prima fronte occurrit sedes quae *Missionum* titulo inscribitur. Spectantibus laetissimum in primis exhibent oblectamentum dissimillima pro diversissimis locis delubra, quibus uniuscuiusque gentis mores et natura ante oculos obversantur. Apostolicis peregrinationibus, quae in ea Asiae parte, quam Terram Sanctam dicimus, ad unius veri Dei notitiam cultumque homines traducere conantur, sacrarium in modum crucis, artificioso contextum fastigio, aditu Christi sepulcrum imitante est assignatum: quod si introspicias, picturis signisque perantiquo syriaco more splendide ornatum admireris. Eleganti huic portico alterum coniungitur sacellum Arabum iudicio, quod summa cum diligentia tumentur Evangelii praecones, qui sub principis Othomani dominatione captivos liberant et Christianae religionis institutis erudiunt. Dexteram procedens in amplum Afrorum offendis tabernaculum, aequae ac tugurium a Massaia Purpurato patre descriptum, deinde in Birmaniorum mapalia, ubi christianae religionis rudimentis et litteris agrestes expoliuntur indigenarum animi; laeva in magnum Americanorum templum ad artis gothicae praecepta, in partes tres divisum, validis tignibusque sustentum.

Homines missi ad christianum nomen propagandum in Asia, multa collegerunt quae duabus continentibus sedibus, alteris super alteras impositis, paucis foris, tectis concinne ornatis. Haec argentum, aurum, gemmas, margaritas rubroque res colore tinctas inspicies, cetera vel manufacta vel natura generata, quorum gratissimo aspectu, quasi pabulo quodam oculorum acies, quamlibet fatigata, reficitur; neque est quisquam, qui Sinas et Indos a veste dissimili his in domiciliis deambulantes quum videat, civitatis ordines non distinguat. Principes enim ac divites versicolore serico, plebei ac pauperes lino seu gossipio tegunt corpora. Iucundum autem est hic ingenuos videre pueros, ut Sinas et Birmaniulos simis naribus, exiguis admodum ocellis, a viris virginibusque divino cultui sacratis peramanter servatos; qui, prout regio ad septemtrionem aut ad meridiem vergit,

(1) Vide commentarium: *Rassegna Nazionale*, ann. XX, vol. CIII.

magis aut minus aeneo sunt colore vel candido. In his tum puellas Syrias, nigris nitidisque oculis, femineis occupatas negotiis admireris, tum Aethiopes, quos Abyssinos appellamus, laetitia gestientes cerni licet, qui ludis et ineptiis convenientium detinent animos.

Pedem porro quum alio feras, domus spectatur pulcherrima, in quam Salesiani patres Evangelii praecones, crystallos, petras, arbores, animalia balsamo illita, vasa fictilia, arma, cetera omnia quae a rebus nostris plurimum differunt huc ex barbaris Americae terris invexerunt. Physicis omnibus, iis praesertim qui terrae visceribus student, quos geologos appellamus, uberrima suppeditatur materia copiam magnitudinemque adipiscendi cognitionis et artis. Eandem domum quam plurimis omnisque generis rebus, quae sive ad arbores et stirpes, sive ad opera barbarorum hominum manufacta, sive ad picturas acu elaboratas pertinent, ornatu magnifico honestant Ordinis P. Francisci sodales.

Quod si ea persequamur, quibus caritatis officium munusque expletur, admirationis crescunt pietatisque argumenta. Etsi enim tot tantisque operibus inspiciendis institutisque ad levandos labores recreatur animus, dolore tamen tabescit, magnas gravesque quum consideret hominum infirmitates atque miseras. Quae omnium nostrum paupertas! quae ignorantia paupertate funestior! quae vitia ignorantia ipsa graviora! Querimonias deponamus, nihil prosunt: locum in quo caritatis officia continentur, visamus obiter: ibi plura nitent bona quam iucunda.

Longum est singula describere et illustrare, memorabimus summatim optima quaeque. Theca nummaria, in qua quisque omnes vindemiolas suas reservat; argentariae populares mutuo inter socios auxilio constitutae; parvulorum instituta opificum; nobilium feminarum conventus ad puellas nuptum collocandas infantesque nutricibus dandos; coniunctiones divitum congregationesque, tum ad aedificandas operariorum domus, tum ad excipiendos tecto senes, pauperes omnesque ad laborem ineptos; hominum coetus opem inter se ferentium; Christi fidelium circuli, quos Graeci *φρατερίας* nominant, quibus parochi praesunt; collegia sacerdotum qui sibi suisque rebus prospiciant; hospitia ad mare, coloniae ad alpes, sodalitates ex incendiis et infortuniis uti damna compensentur; nocturno tempore perfugia, cetera innumera eiusdem generis sunt visenda, quae non modo scribentis, sed et prospicientis vires mentemque fatigant.

Quod si ad ea accedamus instrumenta quibus adiuvantur infirmi, veluti dementes, caeci, surdi mutique, ischiade laborantes, ceteri, ex iis facile agnoscas, ut reliqua praeteream, potissimum tenere locum quae ad milites spectant in bello vulnere affectos: eminent in his usu, arte et labore quae sodalitates tres proponunt, nempe seminarum collegium italicarum pro patria defendenda, sacer militaris Maltensium ordo, et *Crux Rubra*, quae innumera possidet ad levandos dolores valetudinisque curationes maturandas.

Non pauca etiam de mediae aetatis rebus nostrisque dicenda sunt, quae licet digna memoratu sint, brevitatibus causa omittimus et ad illam venimus sedem in partes tres divisam, in qua sex et quadraginta *Sacrae Familiae* tabulae pictae propositae con-

tinentur. Queres cur multi unam Sacrae Familiae speciem pingere aggressi sint. Num oblivione deletum est ab anno MDCXCV, quo illustrius hoc artificiorum specimen esset ornatum, a Leone XIII Pont. Maximo, studiosissimo illorum patrono, praemium HSL (lib. ital. 10000) tabularum pictarum praestantissimae, quae Sacrae Familiae imaginem meliorem in modum exprimeret, fuisse propositum? Quis enim ignorat, quanta animi contentione Episcopos, sacerdotes, omnes Christi fideles voce et scriptis hortatus sit, ut, ad artem sacram quae pertinerent, cumulata Augustam Taurinorum hac tempestate importarent? Ex quo, si languida animorum fides firmior fuerit facta, si bonum artis iudicium in vitam fuerit revocatum, si quid denique utile et fructuosum ex hoc

runt. Sed opus, quod primum ei viam patefecit ad gloriam, est *Trilogia sacra* de Christi passione ad Marci evangelium; quae, veluti stella recens orta, splendorem musicis artibus attulit, ac homines permultos numeris suis ad caelestia ducit. Musicum enim opus, quod vulgo *oratorium* appellamus, plurimis abhinc annis obsoletum, Perosi virtute adeo nunc reviviscit, ut, nova luce coruscans, incredibilem in hominum animos coniciat admirationem sui. Quare haud inopportuna erit pauca de *Trilogia sacra* dicere, quae his tribus constat partibus: *Coena, Passione, Morte Christi*. Prima pars, quae a ceteris non dissidet, feliciore arte confecta videtur et musicis venustatibus plane redundat: sollemnia enim eademque horrida Christi verba apostolis coenantibus:

« Amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me, qui manducat mecum », audientium animos vehementer percellunt. Deinde quum Iesus, amore languescens, suum corpus apostolis mirantibus praebet comedendum, chorus atque sapienter ordinata musicorum instrumentorum collectio sublimem hymnum tollunt:

*Lauda, Sion, Salvatorem,  
Lauda ducem et pastorem  
In hymnis et canticis,*

atque audientium animi divina cum cantus symphoniae vi ad caelestia rapiuntur. In altera vero parte, quum Salvator, genibus in horto Getsemani nixus, moerenti voce: « Tristis est, ait, anima mea usque ad mortem », cantu musicisque instrumentis ita exprimitur dolor, ut non animi humani, sed divinae artis opus Perosiana musice omnino videatur. Quis autem lacrimas cohibeat illa audiens Christi verba: « Abba, Pater, omnia tibi possibile sunt, transfer calicem hunc a me », quum praesertim instrumentorum chordae vehementissime ingemiscant atque animi sensus omnino pervadant? Quid dicam de Iudae ac turbae in hortum adventu?

Neque Perosiana ars sibi deest in tertia operis parte: nam illis verbis: « Et, facta hora sexta, tenebrae factae sunt per totam terram usque in horam nonam, et hora nona exclamavit Iesus voce magna: Eloi, Eloi, lamma sabactani », Perosiana

musa mirum in modum lugubrem scenam oculis subiicit: ex gravissimo enim cantu atque gravium chordarum sonitu naturae terror ac luctus permovet animos, quum Dei Filius, divinae fere oblitus naturae, Deum Patrem invocat, ut opem conferat. Demum, cum primo Iesus extremum edidit spiritum, verba illa moerore plena audiuntur: « Plange quasi virgo, plebs mea, ululate, pastores, in cinere et cilicio, quia venit dies Domini magna et amara valde »; fateor hic me verba deficere ut Perosianae musices incredibilem vim sub oculos ponam: nam immensus ac pene infinitus dolor, quo universa rerum omnium compages ob Creatoris mortem afficitur et quasi dissolvitur, ita musicis exprimitur numeris, ut moestissimo atque horribili Calvarii spectaculo adesse tibi prorsus videaris.

Sed praeter *Trilogiam sacram*, de qua modo, tria id genus opera ex Perosiana musa fluxerunt, quae sunt *Christi Transfiguratio, Christi Resurrectio, Resurrectio Lazari*: de quibus italicarum ephemerides optime loquutae sunt, atque auctorem laudibus ad caelum sustulerunt; sed de his alias.

HERSILUS.



specimine fuerit perceptum, id optimis viris, imprimis vero Leoni XIII vertendum esse laudi et gloriae iure meritoque putatur.

H. LAMBIASI.

### LAURENTIUS PEROSI

SAPIENTISSIMUS rerum omnium opifex quosdam aliquando praestantissimos viros, qui divinae virtutis documentum rebus suis praeberent, ex genere humano ad civilem hominum communitatem adiuvandam prodire decrevit. Atque hi in tot tantisque artibus versati infinitam Dei sapientiam demonstrarunt. Quoniam vero de musice dicendum nobis est, pauca de Laurentio Perosi, sacerdote sex et viginti annos nato, scribamus. Vir acri ingenio, severioribus disciplinis institutus, ad instaurandam musicen sacram omni animi contentione se dedit. Quum autem ille primo psalmos et Missae hymnos ac preces musicis vestierit concentibus, sapiens ex eis novitatis studium atque uberrimum auctoris melos facile eluxe-

ZOOLOGICAE RES

De pithecanthropo (1) erecto.

Ab doctrinae evolutionis sectatoribus, qui sua principia speciei humanae applicantes, hominem ex una vel pluribus simiorum anthropomorphorum (2) simul permixtis speciebus descendere affirmant, flagitarunt semper qui ei doctrinae adversantur: 1° quoniam argumenta transitionis alicuius ex una in aliam speciem effectae proferant; 2° quoniam vestigia animalis alicuius, quod medium inter hominem et simios anthropomorphos sit, praebent.

Ad primam quaestionem doctrinae evolutionis studiosi, qui dicuntur *evolutionistae*, respondent fieri non posse ut transitio ex una in aliam speciem sensibus percipiatur. Haec enim tam lento gradu procedit, ut diuturnum temporis intervallum postulet, quod non modo unam, sed plurimas hominum *generationes* excedit: proinde transitio, de qua loquimur, observationem effugit.

Qui evolutionis doctrinae adversantur responsum hoc libenter excipiunt, quod prudens plane videtur; nam cum aliquid ut hypothesim opinamur, id apodicticis argumentis fulciri opus non est. Sed hoc ipso doctrina evolutionis in hypotheson numerum amandanda est. Idcirco evolutionistae sunt illogici, quum, etsi se argumentis carere fateantur, doctrinam evolutionis tamquam exploratam, immo tamquam disciplinarum naturalium fundamentum proclamant.

Praeterea responsum quod supra fert, ad evolutionem complendam per longa requiri tempora, ostendit ex geologia tantummodo argumenta posse depromi, quae lentissimam hanc transitionem ab animalibus inferioribus ad hominem usque demonstrent. Hinc a pluribus annis *evolutionistae* toti in eo sunt, ut in reliquiis fossilibus exoptata testimonia lenti huius transitus a simiis ad hominem invenire queant. Idcirco secundae obiectioni respondentes, pluries in calvis ceterisque humanis fossilibus reliquiis, characteres vere intermedios tam exoptatos, ostendere conati sunt. At, etiamsi hoc verum esset, prima obiectione integra semper maneret; nam si *petrefacta* transitionis formas praebent, dubium semper geneticum vinculum a simiis ad illa esset. Quare semper in hypothesi versantur, qui evolutionis doctrinam profitentur.

Interea investigationibus reliquiarum humanarum fossilium degradationis characteres, id est simiales, praebentium continua data fuit opera. Eo magis quod doctor E. Haeckel, in Athenaeo Jaenensi professor, pluribus abhinc annis sine ulla animi dubitatione praedixerat inventum iri inter *petrefacta* postpliocenica, id est quaternario aevo parum antiquiora, et profecto in aliqua ex multis Asiae australis insulis,

simium homini per quam simillimum, cuius characteres praecipue forent: *statio* erecta, calva parva et depressa, cerebrum proinde nondum evolutum, hinc evidenter nulla loquela. Homini simul ac anthropomorphis simiis species ergo accederet; eique nomen « Pithecanthropum erectum » Haeckel antea imposuerat.

Mirum proinde primo visum est, quum quatuor abhinc annis, scilicet anno 1894, rumor pervasit *Pithecanthropum* tanto studio frustra conquisitum et ab Haeckelio praenuntiatum, tandem aliquando in Java insula detectum fuisse, et iisdem quidem conditionibus iisdemque characteribus insignitum, quos ipse designaverat. Inventor fuit doctor Dubois, in Neerlandensi exercitu Bataviae commorante, medicus, qui prope flumen quoddam et in strato glareae topographico vulcanico conglutinatae ad antiquius aevum quater-

gravissimum argumentum a geologis profertur, quod vanum hoc aedificium penitus evertit. Argumentum petitur ex critica, quae fossilium inventorum dispositioni fieri oportet. Quo iure, aiunt, uni eidemque individuo referri debent reliquiae, quae disiunctae inter se spatio viginti metrorum inventae sunt? Et sane in eadem fodina reliquiae animalium, quae diversas ad species pertinent, simul permixtae et iuxta positae quotidie inveniuntur. Nemo vero ex his species novas efficere audeat, quae mediae sint inter iam cognitatas. Praeterea in terris, quae iuxta profluentem aquam amnis alicuius sitae sunt, translationes et dispersiones fiunt, unde sequitur reliquias in his terris inventas, etiamsi proximae sint, utrum ad unum idemque, an ad plura individua pertinuerint, incertum esse. Geologiae regula est elementaris, petrefacta in erraticis terris et ab aquis dispersa, parvi aestimanda, nec ullum argumentum ex illis deduci posse.

At vero ad existentiam certam « Pithecanthropi erecti », animalis scilicet, quod medium sit inter hominem et simium, asserendam, necessario supponitur femur humanum et semihumanam calvam ad unum idemque individuum pertinuisse. Quod quidem, propter argumenta superius allata, omnino nequit affirmari.

Quod vero ad formam calvae pertinet, quam evolutionistae mediam inter simios anthropomorphos et infimas hominum stirpes proclamant, respondendum est ex unico fragmento illo fossili invento audaciam sapere deductiones certas inferre. Etenim calva illa satis revera depressa, incertum est utrum degeneri homini, potius quam simio tribui debeat; item ad alterutrum pari

iure pertinuisse credi potest. Homines microcephali omni tempore fuerunt. Pariter homines superciliaribus arcibus prominentibus praediti, ab anthropologis inter civiles etiam populos non raro inventi sunt. Quare ne ex hac quidem parte argumentum ullum sumi potest.

Haec, quae contra « Pithecanthropi » existentiam breviter innuimus, denegata et repulsa in primo inventionis fervore fuerunt. Attamen tanti hodie fiunt, etiam a fautoribus doctrinae evolutionis, ut in recentioribus historiae naturalis operibus auctores de illis iavensibus fossilibus dubitanter loquantur; quamvis primis ab eorum inventionis temporibus de hoc tamquam de sole mni evolutionis triumpho plures gloriarentur. Nunc animo aestuanti sedula mentis investigatio successit, nec « Pithecanthropo » iavensi fides caeca amplius habetur.

Hinc quoad evolutionem et hominis originem omnia, prout ante Dubois inventum, manent. Concludendum ergo est: illam non doctrinam explicatam et factis certis comprobata, sed meram hypothesim permanere. Ad hanc igitur sustinendam nil aliud restat praeter eorum arbitrium, qui principes habentur in doctrina, quam vocant *materialismum*; eorum enim verbis complures, re non perpensa, facilem



Fons in circo agonali a Berninio exstructus.

narium pertinente, invenit primo duos molares dentes, una cum fragmento calvae; deinde post aliquot menses, et a loco ubi praedicta fossilia iacebant viginti metrorum spatio distans, femur integrum. Illico doctissimi geologiae, anthropologiae et palaeontologiae cultores diligentissimas inquisitiones circa fossilia illa instituere coeperunt. Immo doctorum hominum quaedam sodalitia praesertim Parisiis, Berolinii et Florentiae ad rem altius perscrutandam peculiare conciones indixerunt. Primum icones et gypsi formas, dein *petrefacta* ipsa pretiosa modo in hanc, modo in illam urbem circummissa, diligentissimo examini subiecta fuerunt. Inde apparuit calvitium parvum fuisse ac depressum, et arcibus superciliaribus valde prominentibus praeditum, medium proinde affirmabant inter calvitium Gorillae ac calvitium humanum Neanderthalense. Femur autem indubie humanum ostendebat animal erecto gradu incessisse.

At magnae exortae sunt disputationes inter ipsos evolutionis fautores, utrum scilicet characteres calvae et dentium medii revera essent inter hominem et simium. Alii affirmabant, negabant alii, quae disputationes ostendunt « Pithecanthropum erectum » existere, nullo modo esse evidenter demonstratum, sicuti ab initio evolutionistae proclamabant. Insuper

(1) Graece πίθηκος = simia et ἄνθρωπος = homo.

(2) Graece ἄνθρωπος = homo et μορφή = forma.

praebent assensum. Patefactum itaque est: 1° plures leges certas, plura facta explorata illi hypothese manifeste adversari; 2° facta plurima, quae pro eadem allegantur, etiam extra illam hypothese satis explicari posse; 3° si facta aliqua absque evolutione explicari non possunt, explicatio est repellenda dummodo facta plurima adversentur. Iniuria autem affirmatur aliam rei explicationem extra evolutionem dari non posse.

In quaestione igitur de specierum origine, scientia honesta et praedudiciorum expers, scientia quae inquit et serviliter non se subiicit, fateri debet, quod pluries affirmavimus, se penitus rem ignorare.

I. TUCCIMEI.

## DE INFANTULIS SUGENTIBUS LUPARUM UBERA

*Multa renascuntur, quae iam cecidere, cadentque,  
Quae nunc sunt in honore.*

HOR., Epist. ad Pisones.

LEGENTI et cogitanti mihi, quae nuper edita sunt, haec Horatiana in mentem et in labra redibant. Qui enim Romulum ac Remum lupamque nutricem, tanquam commentitios, amandant in fabulas, in certissima et explorata nunc incidunt, quibus constat non modo haec fieri potuisse, sed nostris hisce temporibus accidisse.

Georgius Archias Stockwell, natione Anglus, Maximilianus Müller, philologus ac doctor, ex primis, qui in rebus Orientis versentur, dux Sleeman, decuriones Edgerton, Graiz, et Nicholets, tum rei militari, tum civilibus magistratibus in India addicti, nobis auctores integri sunt. Hi de visu et experientia narrant haberi in Indostanica regione pueros, qui, a lupis abrepti atque ad cubilia ferina deducti, luparum haerentes mammis creverunt, et apud lupos vitam fere totam egerunt. Pedibus manibusque simul gradientes utuntur, cruribus potiusquam pedibus tamen. Cibum obiectum nare scrutantur antequam ore

corripiant, crudas carnes et sanguinolentas, immo putrescentes et male olentes, deliciosiores quasi, prae quavis esca ferunt edendas, gestiuntque in ossibus dente contentendis. Nihil in hisce mentis est, nihil quod sapiat ingenium; praeter vultum et formam, humanum omne alienum est. Lupinum foetorem exhalant, lotionibus et unguentis odore medicatis, quamquam electissimis, obstantem pertinacius, ac superantem.

Quum unus ex his e caverna raptus in locum deductus esset hominibus frequentem, tres ad eum lupi, invisuri, venere, quos ille venientes non horruit, quamvis et ardentibus oculis, et rictu ferocitas emineret. Vix enim, propiores, naribus cognovere, blandientes, ludibundique cum puero steterunt. Abeuntes inde, tribus elapsis noctibus, rediere, duas insuper eiusdem generis bestias secum ducentes, quibuscum lico-puer familiarissime versatus est. Anne, addit Edgerton, ocularis testis, hi fratres conlactanei?

Absolute luporum societatem et familiaritatem et consuetudinem humanae praeponunt, ac (1), si quis eorum potiri tentet, ferino more unguibus dentibusque repugnant. Addit et V. Ball apud geologos indos insignis: «Decennis puer una cum duabus lupeculis captus est. Venatores morsu et ungue graviter, et bestiis fortasse gravius, fregit. Lupum invincibiliter olebat, nec alio, nisi crudis carnibus, vescebatur. Noctu sub dio dormientem visitaturi duo lupi accesserunt; sequenti tres, tertia quatuor. Hisce ille lusurus commiscebatur, atque hi modo linguis lambentibus, modo concurrentibus et recurrentibus saltibus, laetitiam ostentabant et non mediocrem dilectionem, quibus ille manu adlabatur, paleisque proiectis incitabat ad cursum, ad saltus, ad ludos, et iucundus excipiebat exerta lingua blandientes puerilibus genis, et collo et ori. Pueri mater humana reperta est, quae filium ex quodam vulneris sulco proprium agnovit, ablatum olim a lupis quum ipsa a mapaliis domesticis abesset». Haec ille.

In hominum frequentiam reducti, brevi, biennio ad maximum, vel triennio, moriuntur: quamvis aliud apud Ehrhard; qui, in manicomio Sicundrae praeses, huiusmodi pluribus annis puerum viventem in manicomio Lucknow novisse testatur. Ferunt intellectum his nullum esse; at

(1) Ita H. COUPIN apud ephemeridem *Nature*.

S. Ross, sub-praefectus Saltanpou, talem lico-puerum vidit, qui non modo hominem induit, sed et politicae militiae nomen dedit. Quid post haec? Quae inchoavit Horatius, claudat Ovidius:

*Omnia iam fiunt, fieri quae posse negabam,  
Et nihil est, de quo non sit habenda fides! (1)*

P.

## FRUSTULA

FUSCO vultu senem, coma sine lege ad humeros fluente, barbitio non prolixo, sed in unum collecto adstrictoque, laneo pileo caput tegente, vilibus vestibus vilibusque calceamentis indutum, laeva canistrum habentem, unde triticum acceptum terrae credit, Eustathius mensem decembrem, quippe sationis tempus indicet, descripsit. Haec eadem causa fuit qua *Genialem* dixerint Romani, Saturnoque, agrorum cultus numini, dicaverint, in cuius honorem et Vestae filiae et Opis uxoris solemnes ferias a xvi kal. ianuarias per quinque dies ducebant. Opis vero solemnum ritus quidam speciali mentione dignus occurrit, allio nempe fumigandi, quo quidem suavi et voluptuario ad nares exspirante odore sibi quisque effingere potest. — *Saturnalia* maxima pompa atque licentia, fere dicam incredibili, agitabantur; Ausonius enim de iis scribere non dubitavit:

*Aurea nunc revocat Saturni festa decembris,  
Nunc tibi cum domino ludere verna licet.*

Saturnalibus *Sigillaria* imminebant.

†

### *Sigillaria Romanorum.*

Herculem ferunt, Gerione occiso, cum in Italiam et Tiberinas ripas venisset, pontem extruxisse atque

(1) OVID. *Trist.* lib. I, eleg. IV.

3]

## ANTHEA

(Ex fabula H. SENKEWITZ POLONI, *Eamus ad Ipsum*).

His de causis eam pater ferebat in oculis, eoque magis quod non omnis aberat metus ne ipsa haud satis diu vitam produceret. Affirmabat enim se nocturnis visis terreri: saepe etiam divinae cuiusdam formae intueri splendorem, neque scire vitamne sibi an mortem lux illa portenderet.

Ab Aegyptiis, qui domum Timonis frequentes adibant, erat appellari solita *flos loti*, forte quod is frutex divinus haberetur ad Nili fluminis ripas: certe illum Homerus inter herbas deorum voluptati subnascentes primum nominat: vel quod qui semel adspexisset Antheam, illi mundanae res omnes perpetua essent oblivione delendae. Nec sane minus forma quam sapientia praestabat, oculis Nili colorem referentibus, obtutu, instar illius gurgitis, arcano atque profundo.

Hanc ubi primum vidit audivitque Cinna, vehementer est admiratus; inde domum regressus desiderio quodam affectus est arae in atrio excitandae, in qua albas ei columbas immolaret; adeo sibi videbatur divinum aliquid invenisse. Brevi eam deperire coepit; nec in virginis pectus tardum habuit ingressum amor.

— O fortunatum Cinnam! — ita saepe consalutarunt amici.

Easdem ille sibi reddidit voces statim ut ab Anthea nuptialis formula est recitata: *ubi tu Caius, ego Caia*.

Anno vix expleto a confectis felicissime nuptiis, Anthea coepit adversa conflictari valetudine excita-

rique somniis per quietem terrificis. Sub meridiem vero sibi videbatur sentire tacitos prope se gressus; mox existimabat venire ad se mortui hominis pallidum os ipsam intuentis et quasi invitantis. Quibus visis, simul atque imminebant, vehementer exterrita, super viri pectus corruens: — Succurre, clamabat, succurre, Cai.

Frustra undique arcessiti consultique sapientes: frustra medici apprime nobiles conati sunt aegrae adhibere curationem, donec, aucta in dies vi morbi, ea sequuta est infirmitas corporis atque gracilitas, ut cogere lectica deferri.

Intermissam Cinna moestitiam penitus revocavit indoluitque vehementius, quod capiti timeret rerum omnium sibi carissimo. Ne quid autem intentatum relinqueret eam primum ad vicinatas Memphis secum duxit, ad umbram pyramidum, ubi quum nihil melius convalesceret, Alexandriam remigrarunt. Haec vero, omni iam spe destitutus, hariolos, sagas, genus omne balatrones aegrae lateri adiecit.

Inter haec iudaeus quidam advenit, inclyta fama medicus, nomine Ioseph, qui statim a Cinna advocatus, ubi Antheam inspexit, vesano daemonum urgeri spiritu ratus causatusque etiam periculum ex infesto aëre propter Deltae paludes, mulieris Hierosolymam abducendae auctor viro fuit. Idque eo magis Cinnae probatum est, quod in celeberrima illa urbe, Iudaeae procurator esset Pontius Pilatus secum amicitia coniunctus.

Hic hospitibus humanissime exceptis villam suam utendam obtulit, urbi vicinam: quo tamen beneficio

nihilo rectius Anthea se habuit, terroribus non imminutis, quibus adducta est in rerum omnium desperationem.

In atrio, quamvis et matutina tempora sint et porticus opacet locum, caletur maxime. Prope aedem, ad palmam patulis diffusam ramis, Anthaeae lecticam deferri Cinna iubet mali floribus ornatam ac hiacynthinis. Deinde assidens aegrae arreptisque eius manibus, quarum candor parium marmor extinxerat, — Uti vales, inquit, amica?

— Satis bene, illa respondit deficiente voce, clausitque oculos, quasi petitura medicinam somno.

*Cuncta silent: ramos inter levis aura susurrat.  
Fons erat illimis, nitidis argenteus undis,  
Et gramen circa quod proximus humor alebat.*

Paulo post sopore excitata, — Verene, inquit, Cai, philosophus hac in regione versatur quidam, cuius ope aegri convalescunt?

— Hic eius generis medicos prophetas vocant. Atque ei profecto te curandam tradidissem, nisi et ipse circulator videretur. Is, quod contra leges et instituta civitatis plura in vulgus disseminaverit, capitis damnatus, iussu procuratoris est hodie cruci adfigendus.

Ad haec subtristis flexit illa caput. Cuius auctum pallorem intuitus Cinna, — Medicinam, inquit, afferet dies.

— Mortis quidem, non vitae minister est atque satelles dies.

(Ad proximum numerum).

PETRUS ANGELINI.

inde tot sta  
in itinere a  
essent corp  
memoriae t  
instituta, sa  
necessarii a  
imagines a  
Quae ver  
amissa - au  
stram man  
cum usu r  
dicam - au

Alia me  
lemm

Nimis  
singulos l  
solemnia  
nequeo,  
mentem r  
actis), Ac  
mique al  
sub nomi  
huic quid  
primus lu  
hominis a  
turam no  
tatem co  
virgines  
nestaretu  
coronam  
Tandem  
currebar  
puerili  
pendiis

Sapien

De  
Fas  
Nickun  
dam re  
(cuius  
organo  
nulloq  
firman  
oleo l  
nunqua  
nullo  
igitur,  
usui t  
Roent

Barb

C  
menti  
comm  
M  
carum  
quae  
ficere  
bant:  
cursu  
cordi  
toto  
boran  
ction  
clyni  
assan

inde tot statuas in flumen proiecisse, quot comites in itinere amisisset, ut aquae, velut si eorum vera essent corpora, domum transveherent. Huius rei memoriae tradendae gratia *Sigillaria* apud Romanos instituta, salutationum scilicet mos, quibus his diebus necessarii atque amici ad invicem se dabant, sigilla, imagines aliaque munuscula inter se permutantes. Quae vero consuetudo - vana autem religionis specie amissa - eodem labentis anni mense, usque ad nostram manavit aetatem; minime tamen strenarum cum usu reponenda, *quod*, ne quid de mutua ratione dicam - auctore Martiali - *munus pauperis esse solet*.

#### *Alia mensis decembris apud Romanos solemnia.*

Nimis certe in longum traham, si Romanorum singulos huius mensis dies festos enumerare velim; solemnia vero *Consualia* ac *Larentalia* praeterire nequeo, cum rei suae originem Romanorum in mentem reducerent. Larentalibus enim (in Velabro actis), Accae Larentiae, Faustuli uxoris, Romuli Remique altricis, memoria recalebatur; Consi autem sub nomine - quamvis Neptuno equestri parasset (et huic quidem hoc tempore est satisfactum) - Romulus primus ludos indixit, quando, cum penuria mulierum hominis aetatem et rei romanae magnitudinem duraturam non esse sensisset, nusquam legatis, qui societatem connubiumque novo populo peterent, auditis, virgines rapere constituit. Quanti vero numen honestaretur cum, in eius decus, lauream aselli capiti coronam imponerent Consi cultores, ipse viderit. Tandem mense decembri *festas quoque Larium* occurrerant, quibus, domorum custodibus, et bullas puerili aetate exeunte adolescentes et emeritis stipendiis milites arma consecrabant.

#### *Sapientum inventa.*

De radiis X recentioribus. Fas mihi sit hoc nomen iis addere radiis, quos Nickum, doctor physicus, invenisse dicitur quarundam rerum inter se permixtarum chymica actione (cuius latent leges), in vitreis fistulis, pneumatico organo vacuis factis. Hanc lucem splendidissimam nulloque fere modo a vulgari iurare discrepare affirmant, neque oculos defatigantem, plus quam ex oleo lucerna exercent; in suo orbe interclusam nunquam exstingui; orbe autem fracto, evanescere, nullo prorsus tonitru, nullo damno. Nickum radii igitur, et ipsi incompti, maximae communi vitae usui utilitatis futuros esse apparent, non secus ac Roentgen radii scientiae.

#### *Barba omnium pretiosissima.*

Cum in Roentgen, vere X nuncupatorum radiorum mentionem inciderim, quae nuper in diurnis Americae commentariis legi, heic placet referre:

Meyer quidam, ex munere sibi a quodam electricarum rerum opifice commissio, nonnullas machinas, quae producerent actuososque Roentgen radios efficerent, publice ostendebat. Omnia secunda cedebant: experimentis optime actis ingens populi concursus, ingens plausus, et, quo nihil carius hominum cordi, argenti vindemiola. Ecce autem Meyer actor toto corpore ex pruritu, fodicantis acus instar, laborare coepit, ut dexterum capitis latus, ubi punctiones asperiores, sensim glabresceret. Enectus homo clynci sententiam exquirat: dexteri lateris hic pellem assam, veruque partes in ea torrenda radios X egisse

affirmat; itaque Meyer machinarum artificii actionem intendit. Res sub iudice pendet adhuc; si vero emialopezico petita, eaque impensissima libellarum quinquaginta millium pecunia, ad barbae lacunam explendam, decernatur, Meyer barba procul dubio tanti fuerit, quanti in unum collectae omnium hominum haud firme venundentur.

#### *Utilia.*

Petroleum non ad illustrandum modo, sed ad plures domesticos usus utiliter adhibetur. Ipsum enim taurinis calceamentis, duris humore factis, pristinum lentorem reddit; pannulo petroleo madefacto stanea defricata argenteo splendore efficiuntur; suppellectiles vero, sandaracha illitae, sordibus eluuntur, etc.

#### *Iocosa.*

Diogenes vulgo canis dicebatur. Sunt autem canum multa genera: sunt venatorii, aucupatorii, custodes ovium aediumque, sunt qui habentur in deliciis. Ergo percuntanti cuidam qualis ipse canis esset: *Esuriens*, inquit, *Moelilaeus, satus Molosseus*; quod scilicet cibi appetens blandiretur, saturatus morderet.

FORFEX.

## HORAE SUBSICIVAE

### RIVULUS ET TURTUR

(Imitatio carminis gallici *La Source*, a Rev. P. DELAPORTE S. I. compositi).

*Cespites inter virides, aquarum  
Vena prorumpit locuples, suasque  
Volvit, argento similes liquato,  
Longius undas.*

*Qua fluit rivus, seges usque laeta  
Nascitur florum, sitiensque nunquam  
Gramen, et nidis avium struendis  
Arbor amica.*

*Sole vix orto, vitrea refundunt  
Alterum solem latices; et umbris  
Exprimunt vivis viridante quidquid  
Ridet in ora.*

*Interim ramo salicis propinqua  
Insidens turtur gemit, et querelis  
Provocat blandis pia quae susurrat  
Carmina rivus.*

*Advolat tandem, gemisse lassus,  
Ales ad ripam, bibiturus almas,  
Quas sinit, lymphas, ubi flosculorum  
Copia maior.*

*Lucidas rostro legit ecce guttas;  
Hasque sorbillans, volucrum piarum  
More servato, superas ad auras  
Tollit ocellos.*

*Ima sed nusquam vacat hoste Tellus!  
En subit, reptans, niger et vorator  
Sordium, bufo; nitidamque foede  
Polluit undam.*

*Turtur, indignans, repetit virentem  
Arboris ramum, gemituque multo  
Luget allectum saturumque vili  
Reptile coeno.*

*Turturis mores imitare castos,  
Quisquis in terra gemis hac lutosus:  
Turpe nil tractes; sed honesta, lassus,  
Gaudia carpe.*

P. FRANC. X. REUSS.

2/3\*

## AD VOCEM URBIS

### DISTICHA

*Gratulor Aeneidum patrias, gentique Quiritum,  
Quod sermone suo Roma loquatur adhuc.  
Heic ignota prius, necdum intellecta voluptas  
Pectus habet: miror dum pia verba lego.  
Non alia cecinit lingua, quem Mantua vates  
Lactat amans natum progenisse suum.  
Hac etiam lingua, Romanae gentis origo,  
Iura dabat turbae Romulus ipse suae.  
Tullius orator voces emisit eadem,  
Quos simul auditis tu, Catilina, fugis.  
Sit laudi nobis Latias coluisse Camenas;  
Quidquid ab Italia prodiit, Anglus amat.*

H. A. STRONY.

## ANNALES

ILLA Britannorum Gallorumque lis de *Fashoda* felicem habuit exitum, quod Marchand, inde cum discessisset, se recepit Cairum plausis inibi celebratus tum a Gallis tum ab Anglis. Reipublicae gallicae moderatorum aequa agendi ratio, quam velut animi infirmitatem ephemerides Lutetiae Parisiorum acriter adoriuntur convicio, in Britannia maximis effertur laudibus non modo ab illis qui reipublicam administrant, verum etiam ab iis qui contra sentiunt. Ita re definita populares Britannorum oratores negligentiae accusant reipublicae administratores, quod belli causa cum non fuerit remota, classem ad bellum instructam non habeant. Sic prorsus fit rebus bellicis instantibus.

Si auctoritas dicentis spectetur, omnium gravissima censenda est oratio habita a Salisbury in convivio, quod die nona novembris Lord Mayor Londini quotannis apparare consuevit. Convivium illud viris, qui rebus regiis praesunt, occasionem praebet rerum civilium progressum rationemque domi forisque declarandi per anni spatium.

Quod si perpendatur rerum amplitudo et sententiarum audacia, inter ceteros omnes facile excellit oratio Chamberlain Coloniarum praefecti, qui ab omnibus existimatur britannicarum rerum studiosissimus idemque reipublicae praesulum quam maxime ambitiosus. Britanniam copiis et classe instructam, ait, in id animum intendere, ut controversiarum congeriem excitet, singulas quasque componat ad beneplacitum, et ad suae utilitatis finem. Quae quidem ad haec tria referuntur: ad negotia in Aegypto tractanda, ad commercia in extremi Orientis partibus suscipienda atque ad piscandi ius in Terra Nova insula.

Quae ad Asiam pertinent, magis perturbant animos: non enim afficiunt tantummodo Galliam, sed etiam et forte magis Moscoviam cui Angli iam dudum acerrime invident.

Chamberlain audacter dixit se velle in Sinarum imperio rationem agendi liberam et, ut aiunt, *portarum patentium* (*open door policy*), aliquo tamen validiori praesidio quam scriptae tabulae communitam.

Quid haec sibi velint et rerum civilium moderatores et ephemeridum scriptores aucupantur. Timor incessit omnibus ne dominandi cupiditate res gentium omnium in discrimen adducantur ultimum.

★

De pace Hispaniam inter et Status Americae foederatos desperandum esse videtur: utriusque enim nationis legati in quibusdam rebus magni momenti inter se dissentiunt. Lutetiae Parisiorum plurima habita sunt concilia nulla utilitate ad rem.

In negotianda pace Status Foederati ad conciliandos animos paulum dispositi existimantur.

Duo adhuc sunt amovenda: videlicet publicum aes alienum Cubanum, et supremum imperium in insulas Philippinas.

In more positum est ut respublica, quae alienam provinciam in suam ditionem redegerit, eiusdem provinciae onera quaeque in se suscipiat. Sic porro vidimus ab ipsa potenti Germania actum anno 1871, quando suo imperio subiecit Alsatiam et Lotharingiam.

Quid plura? Nonne et ipsi Foederati Status Americae post bellum, quo a Britannia defecerunt et in libertatem se vindicarunt, saeculo elapso, sibi in partem magnam assumpserunt publicas pecuniarum Anglici regni obligationes?

Iure ergo instabant Hispani ut Americae Foederatorum Statuum rectores una cum Cuba insula aes alienum sibi susciperent. Americae legati obfirmato animo quaslibet hac super re propositiones reiecerunt.

Neque id satis: in difficiliorem inciditur nodum. Americani reposcunt ut suae ditioni adiiciatur *pure et simpliciter* Philippinarum archipelagus. Legati hispani, pluries pacis initia scripta invocando, restiterunt; denuntiant id non legi pacis sponsione, et proponunt ad iudicium sententiam utrosque esse referendos de ipsa pacis sponsione interpretanda circa illud quod incertum sit.

Verum partis adversae legati nihilo mitiores facti pecuniarium dumtaxat remedium ultro offerunt, ad quod tamen accipiendum Hispanorum animi minime proni videntur.

\*

Inquisitio in Dreyfus perseverat in ea fortuna ad quam ingressa est, ex quo causae cognitio fuit delata ad supremam Curiam iudiciariam. Iam interrogati sunt quinque ex suffectis armorum praefectis: ex iis Cavaignac, Zurlinden et Chanoine qui, uti constat, se ab officio abdicarunt propter firmam, quam sibi induxerant, persuasionem de iusta Dreyfus damnatione: qua de causa recognitioni adversabantur.

Nunc a suprema Curia audiendus erit ipse Dreyfus qui idcirco certior factus est de ipsa iudicii recognitione et monitus ut ad dicendam causam praesto sit. Quare, serius ocusve, necesse est ut ex vinculis in Galliam deducatur.

Nihilominus hucusque dubium est an magistratus militaris, apud quem secretiores tabulae permanent, has tradere constituat magistratui civili. Siquidem suprema in civilibus iudiciis Curia se inquisitionem instaurare et sententiam ferre autumat: contra magistratus militiae, si recognitioni prioris iudicii faciundae assentiantur, contendunt tamen novum iudicium agendum esse apud novum concilium militum, ut servetur distinctio iurisdictionis civilis a militari. Non repugnant tamen, primas tenere potestatem civilem.

Donec, itaque, iste nodus solvatur, omnibus absconditum erit dreyfusianum negotium.

\*

**Contio** indicta a moderatoribus civilibus Italiae in illam immanem sociatatem evertendarum rerum cupidam « anarchiam », quae in deliciis habet discordias et caedes, permixtionemque omnium iurium, dum scribimus, habetur Romae in aedibus Corsinianis.

Nationes cunctae Europae miserunt legatos qui exponerent sententias et rationes quam aptissimas ad exterminandam tantam perniciem.

Acroasim rerum nostrarum apud exterarum gentes regundarum praefectus Canevaro, legatis cuiusque

nationis ad id huc coactis recitavit. Quidquid ab his viris in tam perditissimorum hominum genus consuletur, ad proximum numerum.

\*

Hora extrema.

Collocutio de pace inter **Hispaniam et Status Foederatos Americae** habita est die vigesima octava novembris. Legati Hispaniae dixerunt se, coactione tamen et vi, ad eas condiciones accessuros quas respublica Statuum Foederatorum constituerat, nempe ab Hispania insulas Philippinas una cum aripelago Su-lu concessum iri contra ducenties centena millia *dollarorum*; Status Foederati autem insulas quoque Carolinas empturi esse dicuntur.

EGNATIUS.

## ACTA SANCTAE SEDIS

**L**EO Papa XIII septimo kalendas decembres litteras dedit ad Ministrum Generalem Ordinis Fratrum Minorum, quarum summa haec est: voluntatem et benevolentiam erga Ordinem de Ecclesia optime meritum demonstrat, hortatur ut fratres vestigiis Doctoris Angelici in philosophando insistant, iudicium sanum et prudens animumque Ecclesiae modestum in explananda Sacra Scriptura praesent, leges non multos ante annos latas in *ministerio verbi* sancte servent, in salute publica, praesertim per optimum Tertii Ordinis regimen, operam ponant; quae omnia « stabilitate concordiae, caritate mutua, servandaeque disciplinae summo in unoquoque studio » facile adipiscuntur.

\*

Nudius quartus habito in aedibus Vaticanis solemnni Conventu, Pontifex Maximus primum ratam fecit creationem Dionysii Ephremi Rahmani in Patriarcham Antiochenum Syrorum; deinde Antistites creavit:

Felicem Cialdini Archiep. titulare Cirenacum; Fridericum Henricum Oury Archiep. Algerianum; Antonium Mariam De Lorenzo Archiep. tit. Seleuciensem; Iacobum Merizzi Archiep. tit. Ancyranum; Antonium Candidum De Alvarenga Ep. S. Pauli in Brasilia; Iosephum Mariam Rancés y Villanueva Ep. Gaditanum et Septensem; Iosephum Mariam Portugal Ep. Saltillensem; Franciscum Plancarte Ep. Cuernavacensem; Casimirum Piñera y Naredo Ep. tit. Dorensem et Priorem Nulliūs Cluniensis; Albertum Leonem Le Nordez Ep. Divionensem; Fridericum Polloni Ep. Bricinoriensem; Hyacinthum Arcangeli Ep. Astensem; Dominicum Scopelliti Ep. Oppidanum; Iosephum Batignani Ep. Montis Politiani; Petrum Berruti Ep. Viglebanensem; Bartholomaeum Lagunima Ep. Agrigentinum; Damasum Pium De Bono Ep. Calataieronensem; Nicolaum Audino Ep. Liparensem; Iosephum Rumeau Ep. Andegavensem; Leonem Adulfum Amette Ep. Bajocensem; Iosephum Guérard Ep. Constantiensem; Paulum Keppler Ep. Rottemburgensem; Eduardum Adulfum Cantel Ep. Oranensem; Iosephum Homobonum Anaya Ep. Sinaloensem; Maximianum Reynoso y del Corral Ep. de Tulancingo; Iosephum Alva Ep. Iucatanum; Salvatorem Gaffiero Ep. tit. Selymbriensem in auxilium Ep. Melitensi; Guillelmum Istruan Ep. tit. Domitianopolitanum in auxilium Ep. Sabariensis; Iosephum Morábito Ep. tit. Dioclensem.

Tandem palant fecit electos iam esse *per Breve*: Archiep. tit. Anazarbensem Avedisium Arpiarian ritus

armeni in auxilium Patriarchae Armenorum; Archiep. Limanum Emmanuelem Tovar; Archiep. Agraensem Carolum Gentili; Archiep. Friburgensem Thomam Noerber; Archiep. Kingstoniensem Carolum Gauthier; Ep. Pembrokiensem Narcisum Lorrain; Ep. Trincomalicensem Carolum Lavigne; Ep. Lyciensem Evangelistam Di Milio; Ep. Menevensem Franciscum Mostyn; Ep. De Arequipa Emmanuelem Secundum Ballon; Ep. Gallipolitanum Caietanum Muller; Ep. Fuldensem Adalbertum Endert; Ep. Limburgensem Dominicum Martinum Carolum Willi; Ep. Maioricensem et Ibusensem Petrum Ioannem Campius y Barcelo; Ep. Sancti Caroli Ancudiae Raimundum Angelum Iara; Ep. Vancouveriensem Alexandrum Christie; Ep. Concordiensem Ioannem Cunningham; Ep. Geraldopolitanum Bernardum Kelly; Ep. tit. Balnearum Antonium Condert datum in auxilium cum iure successionis Archiep. Columbensi; Ep. tit. Obbensensem Franciscum Xaverium Corbet designatum Vicarium Apostolicum in Madagascar septemtrionali; Ep. tit. Oropensem Edmundum Luypen Vic. Ap. Bataviae; Ep. tit. Thaumacorum Ioannem Mariam Simon Vic. Ap. Fluminis Orange; Ep. tit. Zaraitensem Hieronymum Van Aertselaer Vic. Ap. Mongoliae centralis; Ep. tit. Isenium Dominicum Murray Vic. Ap. Cooktown; Ep. tit. Ascalonitanum Alexandrum Cañal Vic. Ap. Amoensem; Ep. tit. Bagensem Franciscum Fogolla auxiliarium cum iure successionis Vic. Ap. Scian-si septemtrionalis; Ep. Barbalissensem Paulum Aloisium Ferraut auxiliarium cum iure successionis Vic. Ap. Kiam-si septemtrionalis; Ep. tit. Callinicensem Paschalem De Siena et Ep. tit. Cimaeum Iosephum Cigliano hos duos in auxilium Archiep. Neapolitano; Ep. tit. Delcensem Ioannem Nepomucenum Terrero in auxilium Archiep. de Buenos Ayres; Ep. tit. Claudiopolitanum Ioannem Antonium Ruano Martin.

THOMAS.

## IN PROXIMUM NUMERUM

**Iulii Sterbini filii - LEO XIII.** — *Litterarium certamen sociis propositum. — De bello hispano-americano composito. — Iris, magistri Mascagni opus. — De honoribus recens habilis Ioanni Bosco. — Vesperae Palatinae, etc. etc.*

Haec in secundo sunt corrigenda numero:

In pag. 11, col. 2<sup>a</sup>, v. 7: scriptores; v. 10: in ea studia; v. 40: retudit; v. 53: pertexuit; col. 3<sup>a</sup>, v. 10: explicatam; unoquoque; in pag. 14, col. 1<sup>a</sup>, v. 16: ubi; col. 3<sup>a</sup>, v. 17: in domo.

## AENIGMATA

Et dolet et gaudet *pars prima*, sed *altera* servat  
Quo vescare; refert utraque iuncta decus.

\*

*Parte priore* cibos condimus, amice, frequenter;  
Enclyticam dicis reliquam. Vis utar utraque?

Obvius esto.

Ex sociis qui utriusque aenigmatis interpretationem ad ephemeridis moderatorem miserint intra duos menses, unus, sortitus, gratis accipiet:

IOANNIS BERNARDI VIGI  
DE SINDONE TAURINENSI  
CARMEN  
Curante VINCENTIO LANFRANCHIO.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex Officina Forzani et Socii.

RERUM ELENCHUS SECUNDI NUMERI

|                                            |                         |
|--------------------------------------------|-------------------------|
| De litteris graecis et latinis . . . . .   | H. DE VECCHI-PIERALICE. |
| De arte in bonis moribus . . . . .         | H. LAMBIASI.            |
| De Thoma Vallaurio . . . . .               | I.                      |
| Recentium librorum notitia . . . . .       | FR.                     |
| Archaeologicae res . . . . .               | H. MARUCCHI.            |
| Alexander Bonvicinius . . . . .            | I. CASCIOLI.            |
| Anthea ( <i>Eamus ad Ipsum</i> ) . . . . . | P. ANGELINI.            |
| In fontem "Aquae Sanctae" . . . . .        | F. X. REUSS.            |
| Frustula . . . . .                         | FORFEX.                 |
| Annales . . . . .                          | EGNATIUS.               |
| Acta Sanctae Sedis . . . . .               | THOMAS.                 |
| Epistularum commercium . . . . .           | A SECRETIS.             |
| Aenigma . . . . .                          | X.                      |

**L. Romanini et Soci**

ROMAE

VIA TOR MILLINA, N. 26-28

PRAEMIIS DECORATUM OPIFICIUM

**Sacrarum Supellectilium textili disciplina fabrefactorum**

sive phrygio opere, sive damasceno, sive acu discriminatarum,  
sive auro, sive argento,  
sive sericis intertextarum, item siqua sint ad Eccl. usum

Ibi et Calices, Ostensoria, Pyxides, Lampades, Reliquiaria,  
Thuribula, Acerrae,  
ex argento, ex cupro, deauratae, deargentatae.

✻ *Suppeditator SS. D. N. Papae* ✻

VENALIUM INDEX IMAGINIBUS RERUM DISTINCTUS GRATIS DABITUR



**EQUES PHILIPPUS VITI  
MARMORARIUS**

ROMAE — Via Alessandrina, N. 51 e 52 — ROMAE


AFFABRE SCULPIT QUAE SUNT  
AD SIMULACRA, ALTARIA, SACELLA  
AEDICULAS

Uti patet ex operibus erectis ac reffectis  
in Basilica Lateranensi,  
Liberiana, Laurentiana extra muros, Transtiberina,  
Eudoxiana, etc.



**APUD FORZANI ET SOCIUM, EDITORES**

ROMAE - Via Dogana Vecchia, 26 - ROMAE




DIVI THOMAE AQUINATIS

SUMMA

**CONTRA GENTILES**

Vol. I, in-8,  
complectens paginas 730

Lib. ital. 3.



DIVI

**THOMAE AQUINATIS**

ORDINIS PRAEDICATORUM DOCTORIS ANGELICI

**SUMMA THEOLOGICA**

AD EMENDATIORES EDITIONES IMPRESSA  
ET ACCURATISSIME RECOGNITA


EDITIO

A LEONE XIII P. M.  
gloriose regnante  
aureo numismate donata



INDICES *nova prorsus methodo et ratione* ita sunt digesti, ut  
uno in conspectu tota rerum expositio pateat.

Opus integrum (pag. 5030, in-8) venit L. 15.



M. CANI


EPISCOPI CANARIENSIS EX O. P.

**OPERA THEOLOGICA**

OMNIA

Tria volumina, in-8,  
complectentia paginas 1160

Lib. ital. 6.



# DESCLÉE, LEFEBVRE & S.

SANCTAE SEDIS APOSTOLICAE ET S. RITUUM CONGREGATIONIS TYPOGRAPHI

PARIGI - LIONE - LILLA - TOURNAI - BRUSSELLE - BRUGES - GAND - MALINES - ANVERSA - TOLOSA

## LIBRERIA CATTOLICA INTERNAZIONALE

ROMAE — Via Santa Chiara, 20-21 — ROMAE

### Theologia dogmatica, moralis et pastoralis.

- Abelly.** — Episcopalis sollicitudinis Enchiridion . . . L. 12 —  
**Aertnys.** — Theologia Moralis iuxta doctrinam S. Alphonsi M. de Ligorio. Editio tertia. 10 —  
— Theologia Pastoralis complectens practicum institutionem confessorum. Editio altera aucta et recognita. Un. vol. in-8 . . . 3 —  
**Alberti Magni.** — De sacrosancto Corporis Domini sacramento sermones . . . 4 —  
**Amberger.** — Pastoral theologie, 3 vol. in-4 . . . 28 —  
**Ambrosii (Sancti).** — Opera omnia. 6 vol. in folio . . . 100 —  
**A. S. Ioseph.** — Prolegomena in sacram Theologiam . . . 1 —  
**A. Vallgornera.** — Mystica Theologia divi Thomae . . . 10 50  
**Bautz.** — Der Himmel. Speculativ dargestellt. Un. vol. . . 3 35  
— Das Fegfeuer. Im Anschluss an die Scholastik, mit Bezugnahme auf Mystik und Ascetik dargestellt. Un. vol. . . 4 25  
— Die Hölle. Im Anschluss an die Scholastik dargestellt. 3 50  
— Grundzüge der kath. Dogmatik. 4 vol. . . 18 50  
**Becamel.** — Tractatus de matrimonio . . . 3 —  
— Tractatus de casibus reservatis. Un. vol. in-12 . . . 2 —  
— Tractatus de virtute in sacramento poenit. . . 3 —  
**Benedicti XIV.** — Institutiones Ecclesiasticae . . . 10 —  
**Benger.** — Pastoraltheologie. 2 volum. . . 12 —  
— Compendium der Pastoraltheologie . . . 5 —  
**Berardi.** — Theologia Pastoralis scilicet de Parocho et de Confess. Monialium . . . 3 50  
— De Directione animarum . . . 40  
**Bersani.** — Enchiridion Theologiae Moralis pro Confessariis et pro Ordinandis . . . 2 50  
— Casus Conscientiae. 2 vol. . . 5 —  
**Berthier (R. P. Ord. Pr.)** — Étude sur la Somme Théologique de S. Thomas d'Aquin . . . 5 —  
**Berthier (P. I. M. S.)** — Compendium Theologiae dogmaticae et moralis . . . 6 —  
— De Verbo Incarnato Commentarius in tertiam partem S. Thomae. Un. vol. in-8 . . . 6 —  
— De Deo Uno et Trino commentarius in primam partem S. Thomae. 2 vol. in-8 . . . 8 —  
**Berthier (J. J.)** — Tabulae systematicae et synopticae totius Summae theologiae . . . 2 50  
— Tractatus de locis theologicis 8 —  
**Bertolotti.** — Sylloge casuum ex re dogmatica, morali, canonica et liturgica. 4 vol. in-8 . . . 24 —  
**Beyr.** — Trinitatis in unitate Dei salus mundi pro Iesum Christum dominum nostrum redempti. 11 —  
**Bilhuart.** — De Rubéis et aliorum — S. Thomae Aquinatis. Summa Theologica cum notis selectis ornata. Vol. 6 in-8 . . . 15 —  
**Bonal.** — Institutiones Theologiae ad usum seminariorum . . . 18 —  
— Summarium Institutionum theologicarum. Un. vol. in-12 . . . 75  
— Tractatus de Virtute castitatis ad usum seminariorum . . . 2 —  
**Bonomelli.** — Summa totius Theologiae Dogmaticae . . . 16 —  
**Borgianelli.** — Il soprannaturale dell'uomo, secondo l'angelico dottor S. Tommaso. Un. vol. . . 4 —  
**Bouquillon.** — Institutiones Theologiae Moralis specialis. Tractatus de virtutibus Theologicis . . . 4 50  
**Bouvier.** — Dissertatio in sextum decalogi praecipuum, et supplementum ad tractatum de Matrimonio . . . 1 50  
**Brugère.** — De Ecclesia Christi, praelectiones novae . . . L. 2 50  
**Canli.** — Opera omnia . . . 6 —  
— De occisione foetus, quam abortu provocato, perforatione, aphalotripsia medici audent. . . 2 25  
**Carrière.** — Praelectiones theologiae maiores. De Iustitia et Iure. 3 vol. in-8 . . . 15 —  
— De Contractibus . . . 17 —  
— De Matrimonio . . . 2 50  
— De Iustitia et Iure . . . 2 50  
— De Contractibus . . . 2 50  
**Ciasca.** — Examen critico apologeticum super Constitutionem dogmaticam de Fide Catholica . . . 4 —  
**Collet.** — Institutiones Theologiae. Vol. 7 in-8 . . . 16 —  
**Debreyne.** — La Théologie Morale et les sciences médicales . . . 5 50  
— Examen de la question de l'Opération Césarienne Posthume . . . 2 —  
**Delama.** — Institutiones Theologiae Moralis . . . 10 —  
**De-Lugo.** — Opera omnia. 8 volum. in-4 . . . 300 —  
**Dens.** — Theologia ad usum seminariorum et Theolog. alumn. 7 vol. in-8 . . . 30 —  
**Depeder.** — Enchiridion Theologiae Pastoralis. 4 vol. . . 11 50  
**De Philippis.** — Vade-mecum Confessoriorum . . . 1 50  
**De San.** — Tractatus de Deo Uno. 2 vol. in-8 gr. . . 15 —  
**Dummermuth.** — Defensio doctrinae S. Thomae Aq. de praemotione physica, responsio ad R. P. V. Frins S. I. . . 9 50  
— S. Thomas et doctrina praemotio physicae responsio ad R. O. Schneeman S. I. aliosque doctrinae thomisticae impugnatores . . . 10 —  
**Egger.** — Enchiridion theol. dogmaticae generalis . . . 12 —  
— Enchiridion theol. dogmaticae specialis . . . 12 —  
**Einig.** — Institutiones theologiae dogmaticae. Tractatus de Deo uno et trino . . . 3 50  
— Tractatus de gratia divina . . . 3 50  
— Tractatus de ss. eucharistiae mysterio in Auditorum us. exaratus . . . 2 50  
**Elbel.** — Theologia moralis per modum conferentiarum . . . 25 —  
**Englert.** — Von der Gnade Christi. I. Thl. Das Text-studium d. hl. Thomas. Die Nothwendigkeit der Gnade f. d. Erkenntnis . . . 6 20  
**Franzelin.** — Examen Doctrinae Macarii Bulgakow Ep. Russi schismatici et Iosephi Langen neo-protestantis Bonensis; de Processione Spiritus Sancti, Paralipomenon — Tractatus de SS. Trinitate . . . 4 50  
**Frins.** — S. Thomae Aquinatis O. P. Doctrina de Cooperatione Dei cum omni natura creata praesertim libera, seu S. Thomae praedeterminationis physicae ad omnem actionem creatam adversarius. Responsio ad R. P. Fr. A. M. Dummermuth O. Pr. Praedeterminationis physicae defensorem. Un. vol. in-8 gr. . . 11 —  
**Gaudé.** — De Morali systemate S. Alphonsi M. de Ligorio historico-theologica dissertatio . . . 1 75  
**Glaire.** — Dictionnaire des sciences ecclésiastiques. 2 vol. . . 36 —  
**Gonzalvus a Recht.** — Manuale Theologiae dogmaticae quod in usum studiosorum elaboravit. 2 vol in-8 . . . 8 —  
**Göpfert.** — Moraltheologie . . . 5 50  
**Gregorii Nazianzeni.** — Opera omnia 2 vol. . . 60 —  
**Hermann.** — Institutiones Theologiae dogmaticae. 3 vol. . . 12 50  
**Hettinger.** — Théologie fondamentale et apologetique. 12 —  
**Hilarius.** — Compendium theologiae moralis. 2 volum. . . 12 50  
**Jungmann.** — Institutiones Theologiae Dogmaticae specialis. 7 vol. in-8 . . . L. 28 —  
— Tractatus de Gratia, Editio VI. Un. vol. 320 pag. . . 4 —  
— Tractatus de Gratia, Editio VI. Brevis Analysis. Un. vol. . . 1 —  
— Tractatus de Deo Creatore. Editio IV. Un. vol. pag. 404 . . . 5 —  
— Tractatus de Novissimis. Editio III. Un. vol. pag. 348 . . . 4 50  
— Tractatus de Vera Religione. Editio IV. Un. vol. pag. 264 . . . 3 50  
— Tractatus de Verbo Incarnato. Editio V. Un. vol. pag. 420 . . . 5 —  
— Veneunt separatim.  
**Katschthaler.** — Theologia dogm. specialis. Liber I-IV . . . 25 —  
— De ss. eucharistia . . . 2 —  
— De gratia sanctificante . . . 80  
**Kenrik.** — Theologia Dogmatica. 3 vol. in-8 . . . 6 —  
— Theologia Moralis. 2 vol. . . 4 50  
**Kirchberg.** — De voti natura, obligatione, honestate, commentatio theologica . . . 4 50  
**Konings.** — Theologia Moralis novissimi Eccles. doctoris S. Alphonsi in compend. redacta et usui ven. cleri accomm. 2 vol. ligati . . . 26 25  
**Lacroix.** — Theologia moralis. 4 vol. in-4 . . . 50 —  
**Lahousse.** — Tractatus dogmatico-moralis de Eucharistiae mysterio . . . 3 50  
**Lainez.** — Disputationes Tridentinae, vol. in-8 . . . 15 —  
**Lambrecht.** — Theologia Fundamentalis. 3 vol. . . 8 —  
**Lebrethon.** — Summa minor S. Thomae Aquinatis, tractatibus et notis ad Conc. Tridentinum et Vatican. exacta. 5 vol. . . 7 —  
**Le Noir.** — Dictionnaire de Théologie de Bergier approprié au mouvement intellectuel de la seconde moitié du XIX<sup>me</sup> siècle. 12 vol. in-8 gr. . . 60 —  
**Linsenmann.** — Lehrbuch der Moraltheologie . . . 10 50  
**Marcellio.** — Theologiae scripturae Divinae Opus . . . 1 50  
**Matthaeo.** — Catechismus Theologicus ad ordinandos . . . 4 —  
**Molinari.** — Institutiones Theologiae Dogmaticae; De Sacramentis:  
Vol. I. De Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione. In-8 . . . 5 —  
Vol. II. De Eucharistia . . . 4 —  
Vol. III. De Poenitentia et Extrema unctione. In-8 . . . 5 50  
Vol. IV. De Ordine . . . 3 50  
Vol. V. De Matrimonio . . . 4 50  
**Müller.** — Theologia Moralis . . . 22 50  
**Neyraguet.** — Compendium Theologiae Moralis Sancti Alph. M. de Ligorio . . . 2 50  
**Nilles.** — Commentaria in Concilium plenum Baltimoreense tertium ex praelectionibus academicis excerpta:  
Pars I. Acta Concilii . . . 4 50  
» II. Decreta Concilii . . . 7 50  
**Oberdoerffer.** — De Inhabitatione Spiritus sancti in animalibus . . . 1 75  
**Ollivier.** — Conférences théologiques. 2 vol. in-8 . . . 8 —  
**Oswald.** — Die dogmatische theologie. 2 vol. . . 7 50  
— Die dogmatische Lehre von den hl. Sacramenten der Kathol. Kirche. 2 vol. . . 15 —  
**Patis.** — Die ganze Weltordnung ruht auf dem Gehorsame. Ed. II. . . . . 2 50  
**Portmann A.** — Das System der theol. Summa d. hl. Thomas v. Aquin; mit Anmerkungen und Erkl. d. termini technici . . . 5 —  
**Potton.** — De Theoria Probabilitatis dissertatio theol. L. 3 —  
**Pruner.** — De iurisdictione Ecclesiae in foro interno ac de casuum reservatione . . . 4 —  
— Theologia Moralis. 2 vol. . . 15 —  
— Lehrbuch der kath. Moraltheologie . . . 12 50  
**Rappenhöner.** — Allgemeine Moraltheologie. 2 tomi . . . 6 50  
**Robert.** — Aurifodina Universalis. 6 vol. in-4 . . . 56 —  
— Veneunt separatim.  
Aurifodina Sacra. 2 vol. . . 20 —  
**Rohling.** — Medulla Theologiae Moralis . . . 4 —  
**Sabetti.** — Compendium Theologiae Moralis . . . 9 —  
**Saettler.** — Theologia moralis universalis. 6 vol. in-8 . . . 20 —  
**Sailer.** — Theologia Pastoralis. Vol. 3 in-16 . . . 1 20  
**San.** — Tractatus De Deo uno . . . 15 —  
**Sarra.** — Memoriale Theologiae Moralis . . . 4 —  
**Satolli.** — In summam Theologiam: De Habitibus . . . 3 —  
— In summam Theologiam: De Incarnatione Un. vol. in-8 . . . 6 50  
— In summam Theologiam: De Trinitate. Un. vol. in-8 . . . 8 —  
— In summam Theologiam: De Operationibus Divinis . . . 8 —  
**Schäzler.** — Introductio in s. theol. dogmaticam ad mentem divi Thomae Aquinatis . . . 1 75  
— Die Bedeutung der Dogmengeschichte . . . 3 50  
— Das Dogma von der Menschwerdung Gottes . . . 7 —  
— Natur u. Uebernatur . . . 6 —  
**Scheicher.** — Compendium repetitorium theologiae moralis. 5 —  
— Allgemeine Moraltheol. . . 5 —  
**Schell.** — Katholische Dogmatik in 6 Büchern . . . 15 50  
**Schmid.** — Lehrbuch der Kathol. Moraltheologie . . . 2 50  
**Schneemann.** — Controversiarum de div. gratiae liberique arbitrii concordia initia et progressus . . . 10 —  
**Schneider.** — Das Wissen Gottes nach der Lehre des hl. Thom. v. Aquin . . . 7 50  
**Schrader.** — De Theologico testium fonte, deque edito testimonio, seu de Traditione commentarius. 2 vol. in-8 . . . 6 —  
— De triplici ordine naturali, praeternaturali commentarius . . . 10 —  
**Schwane.** — Histoire des dogmes. 2 vol. in-8 . . . 15 —  
— Specielle Moraltheologie . . . 12 —  
— Allgemeine Moraltheol. . . 4 —  
**Schweitz.** — Compendium theologiae dogmaticae . . . 15 —  
**Scoti.** — Opera omnia. 800 —  
**Sestili.** — In summam Theologiam S. Thomae Aquinatis de naturalis intelligentis animae capacitate atque appetitu intuenti divinatam essentiali Theologica disquisitione . . . 3 —  
**Siena.** — Commentarius in Constitut. «Apost. Sedis» sec. illustr. interpretum doct. et noviss. S. R. Congr. decisiones . . . 4 50  
**Simar.** — Lehrbuch der Dogmatik, ed. III. . . . . 15 —  
**Sparer.** — Theologia moralis decalogalis et sacramentalis. Novis curis ed. F. Iren. Bierbaum . . . 10 —  
**Sprinzi.** — Compendium summarium theologiae dogmaticae (specialis) . . . 9 —  
**Staller.** — Epitome theologiae moralis. Pars I. et II. . . 10 —  
**Stamm.** — Mariologia seu potiores de s. Deipara quaestiones ex Ss. patrum ac theologorum mente propositae . . . 9 —  
**Stapletono.** — De magnitudine Romanae Ecclesiae, in-8. . . 1 —  
**Stein.** — Historisch-Kritische Darstellung der patholog. Moral-principien & einige ihrer vornehmsten Erscheinungsformen auf dem socialen Gebiete. . . L. 6 50  
**Stentrup.** — Praelectiones Dogmaticae de Verbo Incarnato. Pars prior Christologia. 2 vol. . . 13 —  
— Pars altera Soteriologia . . . 16 —  
— Synopsis Tractatus Scholastici de Deo Uno . . . 7 50  
— Praelectiones Dogmaticae de Deo Uno . . . 7 50  
**Thomae Aq.** — Opera omnia iussu impensa Leonis P. M. edita:  
Tom. I. Commentaria in Aristotelis libro Perihemeneias et posteriorum Analiticarum cum synopsibus et adnotationibus Fr. Th. M. Zigliara . . . 30 —  
Tom. II. Commentaria in octo libros Physicorum Aristotelis ad codices manuscriptorum exacta . . . 16 —  
Tom. III. Commentaria in libros Aristotelis de Caelo et Mundo, de Generatione, Meteorologicorum ad codices manuscriptorum exacta . . . 22 —  
Tom. IV. Prima pars Summae Theologiae a quaestione I ad quaest. XLIX ad codices manuscriptorum Vaticanorum exacta . . . 14 —  
Tom. V. Prima pars Summae Theologiae a quaestione I ad CXIX ad codices manuscriptorum Vaticanorum exacta . . . 16 —  
Tom. VI. Prima secundae Summae Theologiae a quaestione I ad quaest. LXX ad codices manuscriptorum Vaticanorum exacta . . . 13 —  
Tom. VII. Prima secundae Summae Theologiae a quaest. LXXXI ad quaest. CXIX ad cod. manuscr. Vaticanos exacta . . . 10 —  
Tom. VIII. Secunda secundae Summae Theologiae a quaestione I ad quaest. LVI ad codices Vaticanos manuscriptorum exacta . . . 13 —  
Tom. IX. Secunda secundae Summae Theologiae a quaestione LVII ad quaest. CXXII ad codices manuscriptorum Vaticanos exacta . . . 14 —  
— Opera omnia. 34 vol. 450 —  
— Tabula Aurea . . . 5 —  
— Opuscula selecta. 4 vol. 16 —  
— Opuscula Philosophica et Theologica. 4 vol. in-8 . . . 12 —  
**Thomassini.** — Dogmata theologiae. 7 vol. in-4 . . . 400 —  
**Toleti.** — In summam Theologiam. 4 vol. in-4 . . . 32 —  
**Tux.** — Compend. theol. fundamentalis. 2 volum. . . 10 —  
**Van der Velden.** — Principia Theologiae moralis . . . 15 —  
**Van Loo.** — Theologia dogmatica . . . 2 —  
**Van Reeth.** — De Probabilitate . . . 7 50  
**Van Rooy.** — Tractatio practica de Sacramento Poenitentiae. Un. volume in-4 . . . 1 50  
— Codex dogmaticus . . . 80 —  
**Von Gestel.** — De iustitia et lege civili . . . 4 50  
**Vernier.** — Theologia practica. 2 vol. in-8 . . . 5 —  
**Vidmar.** — Compendium repetitorium theol. dogmat. . . 7 50  
**Waffelaert.** — Étude de Théologie morale . . . 2 50  
— Étude de Théologie morale . . . 2 —  
— Dissertation morale sur la malice du mensonge, et sur l'emploi de la restriction mentale et de l'amphibologie . . . 1 50  
**Waffelaert.** — De Prudentia, Fortitudine et Temperantia. 4 50  
— Confessarius rite institutus ad impugnamdam Blasphemiam. Un. vol. in-8 . . . 75  
**Verner.** — System der christlichen Ethik. 3 tom. . . 5 —